325.337
G54q

Quomodo provinciae Romanae per decennium bello civili Caesariano antecedens administratae sint.

DISSERTATIO

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN ACADEMIA REGIA CHRISTIANA ALBERTINA KILIENSI

IMPETRANDOS

SCRIPSIT

CHR. GODT

Mannhemiensis.

KILIAE.

In aedibus C. F. HAESELERI.

Ex officina C. F. MOHR (P. PETERS).

1876.

Imprimatur:
Dr Wilh. Seelig
h t Decanus.

325.37
G54

Enarrare mihi proponens, quae apud senatum populumque Romanum de provinciis administrandis per decennium bello civili Caesariano antecedens acta sint, et qui viri singulis provinciis quotannis praefuerint, non sum nescius, novi non multum me proferre, quum et de administratione provinciarum et de universa huius aetatis historia multi viri docti disputaverint. De provinciis praetoriis diligentissime egit Wehrmann (fasti praetorii, Berolini 1875.), Asiae, Macedoniae, Galliarum provinciarum fastos composuerunt Bergmann (de Asiae provinciae Rom. praesidibus in Philol. II, p. 641 sqq.), Waddington (fastes de provinces Asiatiques in Le Bas et Waddington vogage archéol. III, p. 655 sqq.), A. W. Zumpt (de Macedoniae Rom. provinciae praesidibus in comm. epigraphicis II, p. 153 sqq. de Gallia Rom. provincia in studiis Rom. p. 1 sqq.), Herzog (Galliae Narbonensis historia). Quae de Caesaris provinciis acta sint Hofmann (de origine belli civilis Caesariani), Mommsen (Rechtsfrage zwischen Caesar und dem Senat), Zumpt (stud. Rom. p. 156 sqq.) summa cum doctrina quaesiverunt, universa denique huius aetatis historia a Drumanno, Mommseno, Petero, Langeo luculentissime enarrata et illustrata est. Quamquam vero tot tantique viri in his rebus elaboraverunt, tamen multa adhuc restant incerta et obscura. Difficultates nonnullas, quae pertinent ad provinciarum administrationem, solvere conatus sum.

Index:

Quot fuerint an. 59. a. Chr. imperii Romani provinciae, et quis quique praefuerit p. 1.
Quae per singulos annos inde ab anno 59. ad an. 53. a. Chr. apud senatum populumque Rom. de provinciis acta sint p. 10.
Quae per annos 53/51. a. Chr. in provinciis administrandis mutata sint p. 34.
Quae per annos 51. et 50. a. Chr. de provinciis Romae acta sint et quibus an. 49. a. Chr. provinciae obvenerint. p. 44.
In fine adiecta est tabula praesidum provinciarum, qui fuerunt per hoc decennium.

Quot fuerint provinciae imperii Romani an. 59 a. C. et quis cuique praefuerit, quaeritur.

I. Hispaniam ulteriorem quis rexerit, non constat. Caesar propraetor huius provinciae [1] mense Junio an. 60. Romam regressus est (Cic. ad Att. II, 1, 9), successore, cuius nomen ignoratur, non expectato (Dio C. 37,54 Suet. l. l.)

II. Hispaniam citeriorem obtinebat P. Cornelius Lentulus Spinther (Caes. bell. civ. I, 22. Cic. ad fam. I, 9, 13) praetor anni 60. (Wehrmann fast. praet. 58.) Huic provinciae anno 58. etiamtum praeerat, cf. Cic. l. l. »quum tu (Lentulus) Hispaniam citeriorem cum imperio obtineres, neque res publica consules haberet, sed mercatores provinciarum et seditionum servos ac ministros, iecit quidam casus caput meum quasi certaminis causa in medium certamen dissensionemque civilem.« Hoc evenit an. 58.[2]) Consul anno 58. creatus ante medium hunc annum Romam rediit.

III. Galliam Narbonensem regebat C. Pomptinus (Dio C. 37, 47. sq. Cic. de prov. cons. 13,32) praetura an. 62. functus (Sallust. Cat. 45. Cic. Cat. III, 2,5. Wehrmann l. l. 59.). Usque ad Caesaris adventum huic provinciae praefuisse videtur, quum an. 59. eam gubernaret. Cf. Liv. ep. 103. «C. Pomptinus praetor Allobrogas — ad Solonem domuit, P. Clodius (an. 59.) ad plebem transiit.» Tum Cicero (in Vat. 12, 30) et schol. Bob. (in Vat. p. 322 Or.) supplicationes commemorant Pomptino decretas, quas hoc anno celebratas esse, hunc in modum cognoscimus: Vatinius in tribunatu causam suam cum Caesaris coniunctam esse dicebat (Cic. l.l. 6,15), quae privatus fecerat, in eis hoc non contendebat (l. l. 14,33), supplicationes illae celebratae sunt eo anno, quo Vatinius Caesaris societate fruebatur, id est an. 59., quo tribunatum gerebat[3] (cf. Drumann Gesch. Roms III 195). Praeterea senatus ante Idus Mart. an. 60. decrevit, ut consules duas Gallias sortirentur (Cic. ad Att. I, 19, 2.). Ulteriorem sortitus videtur Q. Metellus Celer, quum triumphi nimia cupiditate flagrasse dicatur (l. l. I, 20,5), triumphus enim non poterat peti nisi ex ulteriore Gallia, in quam Helvetii ingressuri erant (Caes. bell. Gall. I, 2 sq. Cic. l. l. I, 19,2). Metellus quominus ex urbe proficisceretur, a L. Flavio trib. pl. prohibitus (Dio C. 37,50) Romae (Cic. pro Cael.

---

[1]) Suet. Caes. 18 Cic. pro Balb. 19,43 Dio C. 37,52 sq. Plut. Cat. min. 31 Caes. 11 sq. Crass. 7. Appian. Iber. 102. Liv. ep. 102.

[2]) Cf. Cic. in Pison. 24,56 sq. 12,28. 13,29. 21,49. pro Sest. 25,55. 10,24. 14,33. 15,34. 32,69. de dom. 9,23 sq. 25,66. 40,70. 50,129. 51,131. harusp. resp. 2,3 post red. in sen. 4,10. 7,16 ad Quir. 5,12. 7,17 de provinc. 1,2. 2,3.

24. 9) mense fere Aprili an. 59. obiit, eo enim tempore in eius locum (Cic. Vat. 8,19. schol. Bob. in Vat. 318. Or.) Vatinius auguratum petiturus erat. Metellum Romae remanentem Galliae praefuisse censent Zumpt stud. Rom. 64. Herzog hist. Gall. Narb. 70. quamquam praesidi provinciae, qui erat cum imperio militari, intra pomerium versari non licebat (Mommsen. r. Staatsr. I² 62. et 615. II, 1,622.) — Praeterea ex sententia Zumptii et Herzogii a Metello et Pomptino eodem tempore Gallia gubernabatur. — His viris doctis argumento est locus Cornelii Nepotis (ap. Plin. n. h. II, 67,170. Pomp. Melam III, 5,8. p. 72 Parth.) «Q. Metellum Celerem — — ita retulisse commemorat (Nepos), quum Galliae proconsule praeesset, Indos quosdam a rege Boiorum dono sibi datos.» Idem fere apud Plinium legitur. Nihil obstat, quominus cum Drumanno (II, 28) haec dona Metello praetori proconsuli Galliae cisalpinae[1]) data esse statuamus. Langeo censenti (röm. Staatsaltert. III, 282.) haec dona data esse Metello, quo tempore consulatu perfunctus provinciam nondum suscepisset, non adsentiam, quum significari videatur, Metellum illo tempore Galliam revera gubernasse. Pomptinus igitur, quum, qui successurus erat, obiisset, usque ad adventum Caesaris Galliae ulteriori videtur praefuisse.

IV. Galliam cisalpinam usque ad tempora Sullana cum Italia coniunctam a consulibus administratam esse, A. W. Zumpt stud. Rom. p. 4. sq. luculenter demonstravit (cf. Marquardt röm. Staatsverw. I, 20). Usque ad legem Vatiniam de provinciis Caesaris an. 59. latam eam rectam esse ab altero consule in ipso consulatu (cf. p. 66 p. 70), mihi non persuasit.

Argumenta fere nulla profert v. d. nisi quod censet, quem consulem provinciae cuidam transmarinae praefuisse non traditur, ab eo in consulatu Galliam cisalpinam, cum Italia coniunctam, esse gubernatam. Ita facile continua huius provinciae praesidum series efficitur, quum numquam fere per hoc temporis spatium, quae utrique consuli obvenerit provincia narretur.

Marquardt l. l. hos enumerat huius provinciae praesides, C. Cassium Varum et Q. Metellum Celerem. Ille consul an. 73. fuit insequente anno τῆς περὶ Πάδον Γαλατίας στρατηγός (Plut. Crass. 9). Res vero fortasse ita gesta est, ut bello servili imperium ei extra ordinem daretur. Zumpt. p. 53. censet, eum jam an. 72. huic provinciae praefuisse, praeter hunc enim neminem inveniri, cuius legatus, sit Claudius Pulcher a servis victus (Liv. ep. 95.), quum Varinii post hanc cladem a servis devicti legatus fuerit Furius.[2]) Omnino dubium est, num Claudius fuerit legatus, a Plutarcho enim l. στρατηγός, ab Oroso (V, 24) praetor appellatur.[3]) Neque video unde constet Varinio duos legatos, Claudium et Furium, non fuisse. Ne si constaret quidem, a Cassio consule per Galliam cisalpinam exercitum ductum esse, evinceretur imperium eius extraordinarium non fuisse, similiter enim Cn. Cornelio Lentulo L. Gellio consulibus an. 72. bello servili imperium extra ordinem delatum est (Liv. ep. 96. Appian. bell. civ. I. 117). His igitur exemplis res in nullam partem diiudicatur. —

Cicero consul Macedoniam sortitus eam cum Gallia Antonii collegae provincia commutavit, hanc deposuit, depositam deferendam curavit Metello praetori (Sall. Cat. 30. 42 Cic. pro Sulla

1) Dio C. 37. 33. Cic. ad fam. V, 1—2. cf. Cic. in Pis. 2,5. Plut. Cic. 12.

2) Plut. Crass. 9. Sallust frgm. III, 77. Kr., Front. strateg. I, 5.22. Flor. II, 8 (III, 20).

3) praetorem eum fuisse putat Wehrmann fast. praet. p. 41., legatum Drumann (Gesch. Roms II. 185).

25,65. Wehrmann fast. praet. p. 52 f., qui an. 62. ei praefuit proconsule (Cic. ad fam. V, 2,3.). Testimonia veterum sunt potissimum haec: Dio C. 37,33 scribit. »ἐλύγει (Cicero) γὰρ τὴν Μακεδονίαν ἐξελθεῖν, οὔτε δὲ ἐς ἐκείνην, τῷ γὰρ συνάρχοντι αὐτῆς διὰ τὴν περὶ τὰς δίκας σπουδὴν ἐξέπεσε, οὔτε ἐς τὴν Γαλατίαν τὴν πλησίον, ἣν ἀντέλαβε, διὰ τὰ παρόντα ἐξήλασεν, ἀλλ' αὐτὸς μὲν τὴν πόλιν διὰ φυλακῆς εἶχεν ἤσατο, ἐς δὲ τὴν Γαλατίαν τὸν Μέτελλον, ὅπως μὴ καὶ ὁ Κατιλίνας αὐτὴν ἐφετερίσηται, ἔπεμψε.« Eum non posse dicit Zumpt p. 59. quin Cicero, quum iudiciorum causa Galliam cum Macedonia permutasset, Galliam gubernans Romae remanserit. In oratione Pisoniana (3,5.) dicit Cicero: »ego Antonium collegam, cupidum provinciae, multa in republica molientem, patientia atque obsequio mitigavi. Ego provinciam Galliam senatus auctoritate pecunia et exercitu instructam et ornatam, quam cum Antonio communicavi («commutavi» scribunt Hotoman, Ernesti, Orelli, Halm, Baiter) quod ita existimabam tempora reipublicae ferre in contione deposui.« Cicero, dicit Zumpt p. 59., Antonium cum exercitu contra Catilinam mitti passus, participem fecit eum provinciae, neque repugnat huic opinioni, quod Antonius Catilinam in Etruria devicit Galliam non adtigit, Italia enim et Gallia unam efficiebant provinciam, et Metello, cui Cicero provinciam depositam deferendam curavit (Dio C. l. l. Cic. ad fam. V, 2,3.), item in Italia imperium fuit (Sall. Cat. 57.).

Ut in oratione Pisoniana legamus »communicavi«, dicendum est, provinciam a Cicerone antequam eam deposuisset, cum Antonio esse communicatam. Simulatque igitur deposuit, Antonio nullae in ea partes fuerunt. Nullo modo igitur Antonio, qui post Catilinae discessum ex urbe profectus est (Sall. Cat. 36), imperium, quod ab uno Cicerone ei delatum esset, esse potuit in ea provincia, quam antequam Catilina profectus esset, Cicero deposuit (Cic. ad Att. II, 1,3.). Aut si Cicerone auctore senatus constituerat, ut ambo consules huic provinciae praessent, consentaneum erat, eam a Cicerone depositam ab altero gubernari. Quo concesso non video, quomodo Cicero effecerit, ut haec provincia Metello tradere tur, nisi forte id egit, ut Metellus post Antonium eam obtineret. Ita vero duae res efficiuntur, primum Metello anno demum 62. Galliam suscipiendam fuisse, tum Antonium duabus praefuisse provinciis, in consulatu Galliae, proconsule Macedoniae. Illud repugnat Zumptii opinioni, ex qua alter an. 62 consul Antonio in hanc provinciam succedere debebat, hoc usui Romanorum.

Praeterea provinciam an. 63. obtinuit neque Antonius neque Metellus, sed uterque extra ordinem cum imperio contra Catilinam missus est (Sall. Cat. 30. 36.).

His ex rebus apparere videtur, in oratione Pisoniana legendum esse »commutavi.« Hagen (Catilina, eine histor. Untersuchung p. 194.) scribendum censuit »ego Antonium collegam multa mitigavi, provinciamque senatus auctoritate pecunia et exercitu instructam et ornatam cum Antonio commutavi, ego provinciam Galliam quod ita existimabam tempora reipublicae ferre, in contione deposui.« Provinciam vero eam, quam Cicero deposuit, id est Gallia, pecunia et exercitu instructam et ornatam appellari apparet ex oratione Philippica XI. (10,23) »instructam ornatamque a senatu provinciam deposui.« Si Hageni coniecturam comprobamus, statuendum est, provinciam illam ornatam et instructam diversam esse a Gallia. Zumptio decepto verbis Dionis censenti, Ciceronem Romae versantem Galliae praefuisse, tria opponuntur:

I. Dio erravit indicans Ciceronem commutasse provinciam suam cum Antonii *διὰ τὴν περὶ τὰς δίκας σπουδήν*. Hac enim de causa Cicero Galliam deposuit, cf. Cic. ad fam. V, 2,3 »meae rationes ita tulerunt' (ut provinciam deponerem) atque eius mei consilii maiorem in dies singulos fructum voluptatemque capio.« Neque intelligitur, quomodo Cicero an. 62, quo epistola scripta

1*

cal. fr[illegible]m ceperit ex omissa provinciae administratione, nisi hoc ipso anno eam administrare debebat. (cf. Cic. Phil. XI,10,23. — Provincias commutavit eo consilio Cicero, ut Antonium «cupidum provinciae, multa in republica molientem» hac pactione adduceret, «ne contra rempublicam sentiret.» Cic. in Pis. 2,5. Sall. Cat. 26 cf. Plut. Cic. 12).

II. Metello Galliam depositam tradendam curavit Cicero, itaque plane eodem modo uterque hanc provinciam erat administraturus. Metellus usque ad an. 63. exeuntem Romae versatus, tum cum imperio contra Catilinam missus (Sall. Cat. 30), deinde Romam reversus (Cic. ad fam V, 2,4), an. demum 62. Galliae erat praefuturus, idem in Ciceronem valebit.

III. Cicero, si Galliam cisalpinam administrare debebat consulatus anno inde a Cal. Ian., non intelligo, quomodo hoc ipso die proclamaverit (de leg. agr. I,8,25 sq.) «quum mihi deliberatum et constitutum sit, ita gerere consulatum — —, ut neque provinciam neque honorem neque ornamentum aliquod — — appetiturus sim.» «Dicit frequentissimo senatu consul Cal. Jan. — — sese in provinciam non iturum.» Neque dicere licebit, provincias post Cal. Jan. mutatas esse, quum Antonio Galliam provinciam, si Cal Jan. eam susceperat, postea cum Ciceronis commutare, non licuerit.

Denique praeses Galliae erat cum imperio militari, cuius modi magistratui intra pomerium versari non licebat (cf. p. 2). Exemplum C. Calpurnii Pisonis cos. an. 67., qui Romae versans Pompeii delectus in Gallia Narbonensi impediebat (Dio C. 36,37 (20). Plut. Pomp. 27.), quum Cassio Dione teste huic provinciae praecesset, huic opinioni non repugnare, Mommsen (Rechtsfrage zwischen Caesar und dem Senat. 29.) contra Hofmannum (de origine belli civilis Caesar. p. 7.) evicit.

Zumpt (stud. Rom. p. 55) censet. Pisoni fuisse Italiam provinciam, Galliam Narbonensem esse adiectam, quod illa provincia lege Gabinia tota periisset (Dio C. l. l. Xiphilin. p. 4. Dind.). Aliter enim fieri non potuisse, ut et unus, quasi provincia sua Pompeii imperio exempta esset, cum Pompeio dissentiret, et in tot annos, in quot Pompeius imperium acciperet. Controversia illa ex Pisonis natura moribusque videtur orta, provinciam[1]), quum postea L. Licinio Murenae praetori an. 67. (Cic. pro Murena 18,37. sq. Wehrmann fast. praet. p. 50.) obtingeret[2]), per biennium gubernavit, Pompeio in triennium imperium datum est (Dio C. 36, (6,) 23.). Neque si Piso revera triennium Galliae praefuisset, efficeretur, in hoc tempus imperium ei ab initio datum esse. Exemplo igitur Pisonis Zumptii sententia non confirmatur.

Ex eis, quae supra disputavi, apparet, anno 63. a. Chr. Galliam cisalpinam propriam effecisse provinciam, atque a consule vel praetore magistratu perfuncto gubernatam esse.

Anno 67. a. Chr. alter consul M.' Acilius Glabrio Lucullo successurus (Dio C. 36, (14,) 35.) Ciliciam obtinuit, alter C. Calpurnius Piso Galliam Narbonensem. Zumptii opinio, Italiam fuisse Pisonis provinciam, atque ad hanc Galliam esse adiectam, nullo confirmatur argumento, itaque ne hoc quidem anno lex illa valuit, ut alter consul in ipso consulatu Galliam cisalpinam et Italiam regeret.

Anno 74. a. Chr. L. Licinius Lucullus Galliam cisalpinam sortitus cum Cilicia eam commutavit, M. Aurelius Cotta, eius collega, item contra Mithridatem missus est (Plut. Luc. 5 sq.),

[1]) cf. Dio C. l. l. Cic. pro Plancio 39,98. ad Att. I, 1,2. 13,2. Sall. Cat. 49.
[2]) Cic. l. l. 41, 89. 20,42. de har. resp. 26,42. Herzog hist. Gall. Narb. p. 68.)

atque consules ipso consulatu anno urbem videntur reliquisse (Plut. [illegible] Mar. [illegible]). Quis tandem secundum legem Zumptii Italium cum Gallia obtinuit? Hanc provinciam consulibus discessu vacuam C. Aurelio Cottae consuli an. 75. delatam esse censet Zumpt. (Ciceron. 318) «Cotta», inquit, «ex consulatu est profectus in Galliam», neque hoc loco de Gallia ulteriore cogitandum videtur, quum Cotta cupiditate triumphi nullo certo hoste flagrasse dicatur (Cic. in Pis. 26,62. cf. Ascon. in Pison. p. 14. Or.). Dubito autem Cicero dixerit, ex consulatu in provinciam profectum esse Cottam, si consulatu perfunctus provinciam non attigisset, priusquam consules profecti essent. Admodum est verisimile, Cottae hanc provinciam obtigisse eodem modo, quo reliquae praetoribus et consulibus magistratu perfunctis.

Quo concesso apparet, hanc regionem an. 74. a. Chr. propriam effecisse provinciam. Hanc, quum ante tempora Sullana non exstiterit, a Sulla esse institutam, vehementer est verisimile et a Mommseno (röm. Gesch. 2,[6] 354. cf. Lange röm. Staatsalterth. 3,160. Marquardt röm. Staatsverw. I,2[1]) probatum est hoc argumento: Sulla pomerium protulit. Quod quum fieri non soleret, nisi agro Italico adquisito, Sulla videtur Rubiconem fecisse terminum Italiae, quum antea fuisset Aesis, ita enim terminos Italiae quondam mutatos esse scribit Strab. (V, 217. 227.). Hanc terminorum mutationem factam esse, quo tempore Gallia cisalpina propria facta est provincia, Zumptioque arbitratur p. 71. rationem non reddens, cur Sulla pomerium protulerit, non Vatinius, a quo Galliam cisalpinam ab Italia seiunctam esse putat.

Titulum L. Luculli, qui pro praetore terminos in agro Praenestri restituit (C. I. L. I, 167. no. 583) ad annum 82. pertinere docuit Mommsen (C. I. L. l. l. röm. Gesch. l. l.). Itaque colligi non licet, quod anno 74. vel 73. propraetor in hac terra inter Aesim et Rubiconem sita versatus sit — Lucullus praetura functus est an. 76. a. Chr. (Ascon. ad or. in tog. cand. p. 84. Or. Wehrmann l. l. p. 36.) — cum Italia eam fuisse non coniunctam. Toninii liber, «Rimini», in quo Borghesi ita ratiocinatus esse dicitur, praesto mihi non fuit. Praeterea, qui pro magistratu erant intra pomerium remanere vetiti erant, non intra fines Italiae (cf. Mommsen röm. Staatsr. I,[2] 62 et 615.) —

Ex eis, quae p. 1. disputata sunt, consequitur L. Afranium Q. Metelli Celeris in consulatu collegam ann. 60 hanc provinciam sortitum esse. Verisimile est eum Romae remansisse. Caesar lege Vatinia inde a Cal. Mart. an. 59. a. C. hanc provinciam accepit (cf. p. 11.), quo iure si usus esset, Afranio imperium proconsulare duorum mensium obtigisset. Hanc iniuriam num Caesar Afranio Pompeii amicissimo (Drumann. Gesch. Roms I, 35.) intulerit, magnopere dubito. Unde Mommsen (r. Gesch. III, 214) collegerit, tres Galliae cisalpinae legiones, quas Caesar ibi invenit (Caes. b. Gall. I, 10.), Afranio duce bello exercitos esse, nescio. Triumphi honorem, utrum ex consulari an praetoria provincia adeptus sit, nescimus (cf. Cic. in Pis. 24,58).

Illyricum una cum Galliis Caesar proconsule obtinuit[2]). Propriam autem non effecisse provinciam, sed partem Galliae cisalpinae, id quod Zumpt comm. epigr. II, 218. recte monuit, apparet ex oratione Ciceronis de provinciis consularibus habita et ex condicionibus pacis, quas Caesar an. 49. tulit.

[1]) Seneca de brev. vit. 13,8. Dio C. 43,50. Gell. 13,14. Tac. ann. 12,23. sq.

[2]) Caes. b. Gall. II, 35. III, 7. V, 1. Suet. Caesar. 22. Liv. C. 38,8. Eutrop. 6,17. 14. [illegible] Plut. Caes. 14. Cat. min. 33. Pomp. 48. App. b. civ. II, 32. schol. Bob. in Vat. p. 317. Or.

Illa in oratione de provinciis consularibus, qui an. 55. futuri erant, Cicero id egit, ut Syriae duae decernerentur consulares. Quod si factum esset, Caesar provinciam nullam retinens in urbem revocatus esset, cf. 12, 29. 14, 33.

Caesar an. 49. hanc tulit condicionem, ut Pompeius in Hispaniam iret, dilectus et praesidia dimitterentur, ipse ulteriorem Galliam Domitio, citeriorem Considio Noniano, — his enim obtigerant — traditurum, ad consulatus petitionem se venturum, neque se iam velle, absente se rationem haberi suam, se praesentem trinum nundinum petiturum» (Cic. ad fam. XVI, 12,3). Caesar igitur simulac Gallias duas deposuit, nullam obtinuit provinciam.

Aliud huic opinioni argumentum inde sumitur, quod ante aetatem Caesaris dictatoris nullus invenitur Illyrici separatae provinciae praeses. Cf. Zumpt comm. epigr. II,222. Mommsen C. I. L. III p. 279. Marquardt röm. Staatsverw. I,143.

Disputandum est de paucis veterum locis, qui huic opinioni fortasse repugnare videantur.

Orosius VI,7. narrat «lege Vatinia Caesari tres provinciae cum legionibus septem in quinquennium datae, Gallia cisalpina et transalpina et Illyricus. Galliam comatam postea senatus adiecit.» Orosium, quum Galliam comatam diversam putet a transalpina, auctorem, quem sequitur, prave accepisse apparet. Ex hoc errore alter ille ortus videtur, ut, quum apud eundem auctorem legisset vel alicunde sciret, Galliam transalpinam et cisalpinam Caesari datam esse, utramque provinciam lege Vatinia ei traditam scriberet, quum revera lege Vatinia Gallia citerior ei mandata esset, senatus consulto ulterior (cf. p. 11). Ex hac errorum plenâ narratione nihil colligitur de condicione Illyrici. Cf. de hoc loco Orosii Mörner de Orosii vita eiusque hist. libr. VII, p. 150.

Suetonius (Caes. 29) dicit: «cum adversariis autem pepigit, (Caesar an. 50. exeunte) ut dimissis octo legionibus transalpinaque Gallia, duae sibi legiones et cisalpina provincia, vel etiam una legio cum Illyrico concederetur, quoad consul fieret.» Caesar videtur postulasse, ut aut sibi remaneret Gallia cisalpina sine Illyrico cum duabus legionibus, aut Gallia cisalpina cum Illyrico et una legio (cf. Mommsen Rechtsfrage 56). In altera condicione est exercitus minor, provincia maior, in altera exercitus maior, provincia minor. Si vero dicimus, Caesarem postulasse, ut aut sibi remaneret Gallia cisalpina cum duabus legionibus, aut Illyricum cum una, neque ullâ est in his condicionibus responsio, neque intelligitur, quomodo Caesar dubitaverit, quamnam adversarii acciperent. Ad priorem igitur interpretationem confugiendum est, quo concesso, non demonstratur propriam fuisse provinciam Illyricum, ut enim cum Gallia coniuncta erat, ita rursus seiungi poterat. Saepius enim evenit, ut eadem regio tum ad hanc provinciam pertineret, tum ad illam, velut Phrygia alio tempore cum Cilicia alio cum Asia erat coniuncta (cf. Bergmann Philol. II, 643 sq. 678 sq.).

Plutarchus (Caes. 31.) narrat «ἦλθον (Caesar an. 50 exeunte) γὰρ ἀφεῖς πάλιν πάντα τὴν ἐν Ἄλπεσι Γαλατίαν καὶ τὸ Ἰλλυρικὸν μετὰ δυοῖν ταγμάτων αὐτῷ δοθῆναι, μέχρι οὗ τὴν δευτέραν ὑπατείαν μέτεισι.» Idem tradit Appianus (bell. civ. II,32) eodem usus fonte, cf. Bailleu quomodo Appianus — usus sit As. Pollionis historiis. Gottingae 1874 p. 13. — Plutarchus Pomp. 59) «Κικέρων» inquit «ἔφασκε διαλλαγὰς, ὅπως Καῖσαρ ἔξεισι Γαλατίας καὶ τὴν ἄλλην στρατιὰν ἀφεὶς πᾶσαν ἐπὶ δυσὶ τάγμασι καὶ τῷ Ἰλλυρικῷ τὴν δευτέραν ὑπατείαν παραμένῃ.» Eum utroque loco eundem sequi auctorem, sive posteriorem componere floculis de vita Caesaris decerptis (cf. H. Peter Quellen der Plutarch p. 118) apparet, itaque Galliam cisalpinam priore loco non addidit sed posteriore omisit. Quae quum ita sint, non demonstratur, propriam fuisse provinciam Illyricam.

An. 59. lege Vatinia Illyricum cum Gallia esse coniunctum Zumpt comm. epigr. II, p. 281 hoc docuit argumento: Si dudum hae regiones in unam provinciae formam coaluissent, fieri non potuisset, ut fontes nostri (Dio. C. Sueton. Plutarch. Eutrop. Oros. schol. Bob. cet. p. 111) nominatim verba facerent de Illyrico Caesari adtributo. Illyricum autem, quum propria non esset provincia cum alia coniunctum fuisse provincia, necesse est, neque ulla invenitur, quacum coniunctum fuerit, nisi Macedonia.

V. Macedoniam ex praetura an. 61 gesta[1]) proconsule obtinebat C. Octavius (Suet. Octav. 3. Cic. l. l. I, 2, 2, 7. C. I. L. 278 et 7). Anno 58. ei successum est (cf. p. 14). Hac cum provincia coniuncta erat Achaia, cf. Zumpt comm. epigr. II, 253 sq. Hertzberg (Gesch. Griechenlands I, 295 sq.) Lange (röm. Staatsalterth. III, 312.) Marquardt (röm. Staatsverw. I, 173 sq.) Mommsen (röm. Gesch. II, 48). —

VI. Bithynia-Pontus. Aeram Bithynicam incipere ab auctumno[2]) anni 283. a. C. demonstravit Borghesi opp. II, 245 sq. Marquardt l. l. I. 192 et Waddington (Le Bas et Waddington voyage archéol. III, 2. p. 123.) ab anno 297. eam incipere censent, mihi vero Borghesii rationes refutatae non videntur.

Anni igitur Bithynici ΒΚΣ et ΙΚΣ, qui inveniuntur in nummis C. Papirii Carbonis Nicaeae et Nicomediae cusis (Mionnet. descr. des med. II, p. 449 no. 105 p. 465 no. 298—301. supplém. V, p. 167 no. 968—970) respondent tempori inde ab auctumno anni 62. ad auctumnum anni 59. Pompeius, quum rebus Asiaticis compositis itinere tardius confecto (Plut. Pomp. 42) Romam advenisset mense Jan. an. 61. (Cic. ad Att. I, 12,1. 14,1) medio fere anno 62. ex Asia videtur decessisse. Itaque apparet Papirium, cuius propraeturae mentionem facit Dio. C. (37,46), ante annum 61. provinciam non attigisse. Per annos 61. et 60. cum Bithyniae praefuisse, docent nummi, num diutius ibi remanserit, dubium est.

VII. Asiam ex praetura triennium obtinebat Q Tullius Cicero proconsule[3]). De provincia decessit mense Apr. anni 58. exeunte (Cic. ad Att. III, 9,1.). Cistophorus Trallianus, cui inscriptum est TVLLI PROCOS. incerta est lectione, cf. Mommsen C. I. L. I. p. 143. Waddington fastes des provinces Asiat. p. 674.

VIII. Cilicia quibus obtigerit inde a discessu Pompeii ad annum 56. nescimus. Zumpt stud. Rom. nullo testimonio fretus putat M. Pupio Pisoni consuli an. 61. eam obtigisse.

IX. Syriam Pompeius an 62. Romam reversus administrandam tradidit M. Aemilio Scauro (Joseph. ant. Iud. XIV, 4,5. bell. Iud. I, 7,7. Appian Syr. 51.) Cuius de successoribus Appianus l. l. haec tradit: *Συρίας δὲ εὐθὺς ὁ Πομπήιος Σκαῦρον τὸν ἐν τοῖς πολέμοις ἑαυτῷ γενόμενον ταμίαν ἔταξεν ἡγεῖσθαι, καὶ ἡ βουλὴ Φίλιππον ἐπὶ Σκαύρῳ τὸν Μάρκιον καὶ Σιδικελλῖνον Λέντλον ἐπὶ τῷ Φιλίππῳ, ἄμφω στρατηγικοὺς καθ' ἑξῆσαν, ἀλλὰ τῶνδε μὲν ἑκατέρῳ διετὴς ἐτρίβη χρόνος τοὺς γείτονας ἐνοχλοῦντας Ἄραβας ἐμενομένῳ. — τοῦδε χάριν ἐς τὸ ἔπειτα ἐγένοντο Συρίας στρατηγοὶ τῶν τὸ ἐπώνυμα ἀρξάντων ἐν ἄστει — καὶ πρῶτος ἐκ τῶνδε ἐπεμφθη Γαβίνιος.* Gabinius consul anni 58. anno 57. in Syriam advenit, quum uterque illorum biennium huic provinciae praefuerit, anni 61. et 60.

[1]) Vell. II, 59. Cic. ad Q. fr. I, 1, 7, 21. Wehrmann fast. praet. p. 58.

[2]) Simplic in phys. Arist. V, 205 A. Ideler Handb. I, 421.

[3]) Cic. ad fam. II, 15,4. ad Att. VI 6,3. I, 15,1. ad Q. fr. I, 1,10,30 II div. I, 28,58.

Philippos 39. et 38. Marcellino videntur attribuendi, Scauro reliquum anni 61. tempus inde ab discessu Pompei usque ad adventum Philippi. Quae quum ita sint, non video cur Drumann (II, 405. III, 46.) Wehrmann fast. praet. 60. sq. secuti, ut videtur, Pighium (annal. III, 365 et 366.) annuum utrique tribuant imperium. Cn. Cornelium Lentulum Marcellinum an. 59. praetura functum esse, id quod refelleret nostras rationes, nusquam traditur. Antonius consul an. 63. ex Macedonia provincia regressus an. 59 reus factus est apud Cornelium Lentulum Clodianum (Cic. in Vat. 11, 27. cf. de dom. 16, 41. Suet. Caes. 20.), hunc eundem esse ac Cn. Cornelium Marcellinum contendunt Drumann II, 465 Baiter Cic. opp. XI, 246. alii cf. Orell. Onom. Tull II, 177. ducti, ut videtur, errore Pighii, qui hoc anno eum facit praetura fungentem (annal. III, 353). Omnino autem dubium est, num ille Clodianus fuerit praetor an iudex quaestionis, fortasse est consulis an. 72. filius commemoratus a Cicerone (ad Att. I, 19,2, cf. Drumann. II, 547 Mommsen röm. Staatsr. II, 1, 548. Wehrmann fast. praet. 60). Quod utcunque se habet, alius certe est ac Cornelius Marcellinus. Quae per haec tempora de Cornelio Marcellino et Marcio Philippo traduntur non obstant nostris rationibus (cf. Drumann. II, 405.), neque enim video cur statuamus vicinum Q Ciceronis proconsulis praesidem Syriae an. 59. a Cicerone commemoratum (ad Q. fr. I, 17), esse Marcium Philippum (cf. Pighii annal. III, 356 Baiter Cic. opp. XI, 370.) quum nihil sit, cur verba Ciceronis ad Lentulum Marcellinum non referamus. Eodem modo, quae de Syria provincia traduntur, non impugnant opinionem nostram. Cicero hanc provinciam an. 61. M. Pupio Pisoni consuli eripuit (Cic. ad Att. I, 16,8.). Josephus locis p. 7. laudatis narrat Scauro successisse Gabinium. Quum Scaurus in tribunatu Clodii an. 58. aedilitate functus sit (Cic. pro Sest 54,116 Ascon. in Scaur. p. 18 Drumann I, 29.), ita in aperto est Josephum errare, ut eius testimonio ad Appianum refellendum uti non liceat. — Ex eis, quae disputavi apparet, per annos 61 et 60. L. Marcium Philippum, per annos 59. et 58. Cn. Cornelium Lentulum Marcellinum Syriae praefuisse.

X—XI. Cyrenas et Cretam inde a temporibus Augusti unam effecisse provinciam constat (Marquardt röm. Staatsverw. I, 302.), qualis autem antea harum provinciarum status fuerit, dubitatur.

Cretenses Q. Caecilius Metellus consul an. 69. bello per triennium gesto [1]) subegit, quem simul Macedoniae praefuisse Zumpt com. epigr. II, 187. docuit: L. Flaccus enim, eius legatus, Achaiae, Boeotiae, Thessaliae dicitur praefuisse (Cic. pro Flacco 26,63.) et Cn. Plancius trib. militum in Macedonia apud eundem videtur fuisse. Cicero enim dicit, eum fuisse militem Metelli in Creta, in Macedonia trib. mil. atque in eadem provincia quaestorem apud L. Appuleium (pro. Planc. 11,27 sq. schol. Bob. in Planc. p. 253 Or.). Quum omnes, quibuscum aliqua necessitudo Plancio est, enumerentur, non intelligitur, cur omittatur nomen eius, apud quem trib. mil. fuit, nisi forte apud Metellum fuit. Apparet igitur Metello imperium fuisse et in Creta et in Macedonia, has duas regiones aliquando unam effecisse provinciam.

---

[1]) Vell. II, 34. Eutrop. VI, 11 (9.). De bennio cogita Orosius VI, 4. Cf. praeterea Justin. 39, 5. Dio. C. fragm. 111, 4 Diod. Liv. ep. 100. Flor. I, 41 (3,7). Cic. pro Flacco 13,30. Plut. Pomp. 29. Appian Sicel. 6. Bekk. S. Ruf. 7.

Quo tempore Creta a Macedonia seiuncta sit, nescimus. Zumpt l. l. II, 1 p. 240 hoc factum esse censet, hoc vero nullo confirmatur testimonio. Id constat anno 57, Lacedaemonium a Creta seiunctam fuisse, hoc enim anno L. Calpurnius Piso hanc provinciam obtinuit (p. 171, quam quum Cicero acerrime in oratione Pisoniana perstringat et omnes enumeret gentes et urbes, quibus iniurias intulerit, nulla Cretensium mentione, apparet Cretam ad eum non pertinuisse. — Has regiones an. 44 a. C. iam pridem seiunctas fuisse, eo significatur, quod Brutus, quum Creta, quae ei decreta erat, omissa Macedoniam occupavisset, alienam provinciam invasisse dicitur (Cic. Phil. XI, 12, 27). — Cretam a Macedonia seiunctam cum Cyrenis an. 74 a. C. in provinciae formam redactis[1]) coniunctam esse, non crediderim, anno enim 51 a. Chr. quattuordecim erant provinciae, duabus Hispaniis praeerat Pompeius, duabus Galliis Caesar, Syriae Bibulus, Ciliciae Cicero, ceteris reliquis praetorii pro praetore (Cic. ad fam. VIII, 8,3). Harum certo notae sunt hae: 1) Sardinia. 2) Sicilia. 3) Africa. 4) Macedonia et Achaia. 5) Bithynia. 6) Asia. Duae igitur desiderantur provinciae, quae, nisi Creta et Cyrenae duae erant provinciae, non enumerantur. — Aliis vero argumentis haec res probari non potest. —

Zumpt l. l. II. 240. hoc affert argumentum: Bruto Creta, Cassio Cyrenae an. 44 a. Chr. a senatu decretae sunt, itaque apparet, has duas regiones singulas effecisse provincias. Res vero admodum dubia est. Plutarch. Brut. 19 tradit, Bruto Cretam, Cassio Cyrenas obvenisse, Appian. bell. civ. III, 12 et 36 narrat, Bruto et Cassio Cretam et Cyrenas obvenisse, quae cuique decreta sit provincia non exponens, idem bell. civ. III. 8 dicit, alios referre Bruto Bithyniam, Cassio Cretam et Cyrenas obvenisse, alios Bruto et Cassio Cretam et Cyrenas. Apparet ab Appiano priore loco nomina permutata esse, et enim Dio C. (45,32. 47,21) Bruto attribuit Cretam et Cyrenas, Bithyniam Cassio, cui Nicolaus Damasc. v. Aug. c. 28 Illyricum adsignat, et Cicero saepius Cretam appellat Bruti provinciam (cf. Phil. XI, 12, 27. II, 38, 97). Neque quod Cicero Cretam tantum appellat, non Cretam et Cyrenas, concludi licet cum Zumptio, Cyrenas ei non obvenisse, quum posterioribus quoque temporibus, quibus Creta et Cyrenae erant coniunctae, inveniantur Cretae proconsules. Cf. Tac. annal. III, 38, Cassius «Cordus proconsule Cretae» an. 21 p. Chr. Marquardt röm. Staatsverw. I, 302.

Cretam igitur Bruto obvenisse certum est, utrum vero eidem Cyrenae quoque et Cassio Bithynia sive Illyricum, an Cyrenae Cassio obtigerint dubitatur. Neque quod anno 44 a. Chr. Tillius Cimber Bithyniam occupavit, concludi licet, fieri non potuisse, ut Cassio obtingeret, cui praetori an. 44. anno demum 43. in provinciam exire licebat. Tum Zumpt dicit M. Iuventium Laterensem fuisse quaestorem Cyrenis (Cic. pro Plancio 26, 63. 5, 13), Cn. Plancium eodem fere tempore Cretae apud Metellum, quare fieri non posse, quin inter hos, si Creta et Cyrenae coniunctae fuerint, necessitudo aliqua intercesserit. Quam quum Cicero in oratione Planciana non commemoret, apparere, eam non exstitisse, Cretam igitur a Cyrenis seiunctas fuisse. Plancius vero an. 58. apud L. Appuleium in Macedonia quaestor erat, Iuventius, quum an. 59. tribunatum petiturus esset (Cic. ad Att. II, 18,2), ex legibus annalibus (cf. Mommsen röm. Staatsr. I², 515) ante an. 59., hoc igitur argumentum nihil valere apparet. —

Dubitatur utrum Cyrenae a quaestoribus an a propraetoribus administratae sint. In fr.

[1]) Sallust. frgm. II, 47. Kr. cf. Kritzii ad hunc locum adnot. Marquardt I, 301.

Incerto Sallustiano (II, 47 Kr.) haec legentur: «Publiusque Lentulus Marcellinus eodem auctore praetor in novam provinciam Cirenas missus est, quod ea, mortui regis Scipionis testamento nobis data, prudentiore, quam illis ea gentes, et minus gloriae avidi imperio continenda fuit.» Borghesii opinio (Ber. der sächs. Ges. d. W. 1850. p. 197.), Cyrenas, ex quo in provinciae formam redactae erant, a quaestoribus esse administratas, probata mihi est, ea condicione, ut dicamus, ante annum 51, quo a propraetore hanc provinciam esse gubernatam videmus p. 9., hunc morem sublatum esse. Accedit ad Borghesii opinionem confirmandam quod omnes, quos novimus, Cyrenarum praesides aetate reipublicae liberae sunt quaestores (cf. R. Lanciani bullet. dell' instituto 1874. p. 210). Mommsen censet l. l. p. 198 Lentulum fortasse alicui succedere praetorio, cum vero recte refutavit Kritz adnotans ad locum Sallustii, particula quod» induci causam, et cur Cyrenae in provinciae formam redigantur, et, cur Lentulus eo mittatur. Zumpt comm. epigr. II, 211. excidisse putat nomen praetorii, quem Lentulus comitetur, at permirum est, eum tantum casum non adiungi huius praetorii nomini sed magistratus comitantis. — Ceteros, quos novimus, huius provinciae quaestores praetoribus non fuisse subiectos, non traditur. — L. Lollius (v. nummos eius ap. L. Müller I. l. p. 155) potius videtur fuisse legatus Pompeii bello piratico quam praeses Cyrenarum (cf. Appian. Mithr. 95. Borghesi opp. II, 400. L. Müller l. l. I, 158). Eodem bello Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus πειρατῶν ἀντιστράτηγος fuit Pompeii et in hac terra versatus est (cf. inscript. Cyrenens. editam a R. Lanciano l. l. p. 111.). Hoc tempore aliqui in condicione huius provinciae mutatum est, (Marquardt I, 361.) itaque hoc fortasse tempore e quaestoria facta est praetoria.

XII. Africam ex praetura anno 63. gesta (Sall. Cat. 36. Wehrmann fast. praet. p. 52.) obtinuerat Q. Pompeius Rufus pro consule (Cic. pro Caelio 30, 73.). Quando decesserit nescimus.

XIII. Siciliam C. Verginius praetor anni 62. (Cic. pro Plancio 40, 95. Wehrmann l. l. p. 56.) mense Aprili an. 58. etiamtum gubernabat (Cic. l. l. cf. ad Att. III, 4—5. schol. Bob. in or. in Clod. et Cur. p. 333. Or.). Quando decesserit, nescimus.

XIV. Sardiniam quis rexerit, ignoratur.

Quae an. 59. a. Chr. Romae de provinciis acta sint exponitur.

Ex lege Sempronia C. Gracchi senatus quotannis, antequam comitia consularia habita essent, consulibus futuris provincias decernere debebat. De provinciis consulibus huius anni decretis nos Suetonii loco agitur (C. Caes. 19). «Igitur cum Bibulo consul creatur (Caesar), eandem ob causam operam ab optimatibus data est, ut provinciae futuris consulibus minimi negotii, id est silvae callesque, decernerentur.» De provincia consulari, quam efficiebant silvae callesque, nihil traditum est. Unus locus, quo huius modi provinciae fit mentio, est apud Tacitum (annal. IV, 27.) «erat is, cui (apud Brundisium siti) regionibus Curtius Lupus quaestor, cui provincia vetere ex more calles

[1] M. Iuventius Thermus, Nummi A. Papii Rufi, num nobili reipublicae libero adsignandi sint, dubitatur, cf. L. Müller numismatique de l'ancienne Afrique I, 161. Mommsen rom. Münzwesen 375. N. 27.

[illegible] Cod. Med. praeclusto calles», «Gales legerunt Lipsius, Ernesti, Burer, Nipperdey. Neque dubium videtur, quin «Cales» scribendum sit, cf. Lipsii Thesaurum sub h. v. Mommseni quaestione de quaestoribus Ariminis (röm. Staatsr. II, 1, 535 sq.). Ut vero apud Tacitum «calles» de annis, quibus statui non licet, quae provincia antea consularis fuisset, cum postea fuisse quaestoriam. Accedit, quod pascua sive calles et silvae pertinent ad aerarium publicum, quum censores loc. vel alio modo administrare debeant (Cic. de leg. agr. I, 1, 3. II, 18, 49. Mommsen röm. Staatsr. II, 1, 411). Itaque, quum dubitari non liceat, quin locus Suetonii sit corruptus et forma atque structura verborum «id est silvae callesque» insitata et falsa sit, coniecerim, hoc esse glossema in margine adscriptum, et aut de industria aut errore in ordinem verborum receptum, scribendumque putaverim «opes ab optimatibus data est, ut provinciae futuris consulibus nihil negotii decernierentur.» Quae fuerit illae provinciae minimi negotii, plane nescimus. Inepti coniecturam [illegible]tud Rom. pag. 66) «id est Gallia Italiaque» improbandam esse, [illegible]quitur ex eis, quae supra de Gallia cisalpina disputata sunt. Hoc senatus consultum sublatum est lege Vatinia, qua Caesari Gallia cisalpina adiecto Illyrico in quinquennium inde a Cal. Mart. an. 59 data est. — Imperium Caesaris ad Cal. Mart. anni 54. prorogatum fuisse discimus ex oratione Ciceronis anno 56[1]) de provinciis consularibus habita, qua exponit, utri consulum anni insequenti Gallia citerior obtigerit, ab eo ante Cal. Mart. post consulatum (id est anno 54) futuras eam susceptum non iri (15, 36 sq.).

Hac lege a Vatinio trib. pl. perlata (Cic. pro Sestio 64, 135. in Vat. 15, 35 sq. de prov. cons. 15, 36), senatus Galliam ulteriorem Caesari detulit (Cic. de prov. cons. 15, 36), quae utrumque Pompeio auctore factum est (Cic. ad Att. VIII, 3, 3. Plut. Caes. 14). Ex reliquis scriptoribus hunc rerum ordinem conservant Dio C. (38, 8), Suetonius (Caes. 22), atque Orosius (6, 7) nisi quod in nonnullos errores incidit cf. p. 6. Plutarchus vero (Caes. 14. Crass. 14. Cato min. 33. Pomp. 48), Appianus (b. civ. II, 13), Velleius (II, 44), Eutropius (6, [14], 17), schol. Bob. (in Vat. p. 317 Or.) inter legem et senatus consultum non distinguunt.

Dubitatur num senatus, quum Galliam ulteriorem Caesari traderet, hanc provinciam in quinquennium ei detulerit, et si hoc fecerit, num hoc quinquennium inde a Cal. Mart. anni 59. inceperit. Langeus (röm. Staatsalterth. III, 283) censet, in senatus consulto nihil scriptum fuisse de quinquennii imperio, senatui quotannis licuisse libere de Gallia ulteriore statuere. Haec sententia mihi probata est. Cicero enim dicit de prov. cons. 15, 36: «qui ulteriorem (Galliam consulibus futuris decernit) omnia illa, de quibus disserui paullo ante, perturbat (impedit, quominus Caesar res Gallicas componat), simul ostendit eam se tueri legem, quam esse legem negat (legem Vatiniam contra auspicia latam optimates ratum esse negabant schol. Bob. in Vat. p. 317 Or. Cic. de prov. cons. 19, 45), et quae pars provinciae sit, cui non possit intercedi, eam se vellere quae decernendi ius habeat non tangere; simul et illud facit, ut, quod illi a populo datum sit, id non videatur, quod senatus dederit, id senatus properet auferre. Alter (qui citeriorem Galliam consulibus futuris decernit) belli Gallici rationem habet et fungitur officio boni senatoris, sed legem (Vatiniam) quam non putat, eam [illegible] quoque servat; praefinit enim successori diem.» In sequentibus expo-

[1]) Cic. ad fam. I, 7, 10. ad Q. fr. II, 6, 8. de prov. cons. 6. 14. Accon. in Pis. p. 2 Or.

[illegible] a nullam aliam fore esse, consulem Cal. Mart. post consulatum futuris provinciam obtinere, [illegible] d. 9, cf. Mommsen (Rechtsfrage p. 33 [illegible] 40. 43).

Qui anno 56 Galliam ulteriorem consulibus futuris nominabat, is Caesari eam provinciae partem adimebat, quae ne decerneretur intercedi non licebat, eam, quae «defensorem habebat», non tangebat. Illud «pars provinciae (Gallia cit.), quae defensorem habet», quum opponatur verbis «pars provinciae, cui intercedi non potest», significare videtur: quam provinciam ne decernamus, intercedi poterit. Quae erant rationes, a quibus intercedi licebat ne senatus an. 56 Galliam citeriorem nominaret consularem, quum lege Sempronia sanctum esset, ne senatus consulto de provinciis consularibus intercederetur. Primum enim, si senatus decernebat, ut Caesaris successor Cal. Jan. anni 54 Galliam citeriorem susciperet, intercedi licebat, quod Caesari ante tempus succederetur, tum si senatus constituebat, ut Caesari succederetur Cal. Mart. anni 54, rursus intercedi licebat, quod consul per duos menses sine provincia esset. Quum, ne ulterior Gallia decerneretur, intercedi non liceret, neutra in hanc provinciam cadebat ratio, Caesaris successori Cal. Jan. an. 54 eam suscipere licebat. Caesari non fuisse duo quinquennorum imperia, quorum alterum inciperet a Cal. Jan. an. 59, alterum a Cal. Mart., apparet, itaque consequitur, Galliam ulteriorem eodem modo ei a senatu delatam fuisse quo reliquis praesidibus reliquae provinciae.

Cicero de prov. cons. 16, 39 dicit: «monemur a [illegible] consule, ut provideamus, ne citerior Gallia nobis invitis alicui detur, post eos consules, qui nunc erunt designati, perpetuoque posthac ab eis, qui hunc ordinem oppugnant, populari ac turbulenta ratione teneatur.» Hoc loco censuit Hofmann de orig. belli civ. Caesar. p. 9. significari, in die imperio Caesaris praefinienda a consuetudine recessisse Vatinium, recte refutatus a Mommseno (Rechtsfrage p. 42), qui perspexit haec verba referenda esse ad rumorem quendam, fore ut ad aliquem, fortasse Pompeium, imperium extra ordinem in hac provincia transferretur. Dubitari enim non potest, quin senatui licuerit anno 55. hanc provinciam alteri ex consulibus futuris decernere, populo vero anno demum 54. de ea constituere licuit secundum similitudinem aliarum de provinciis magistratuum legum huius aetatis, cf. leges Vatinium, Treboniam p. 24. Clodiam p. 18., quae omnes ita latae sunt, ut ipso magistratus anno provincias suscipi liceret. Legi Vatinia Caesari tres legiones permissae sunt, quarta a senatu addita cf. Dio. C. 38, 8. Appianus et Plutarchus locis p. 11 laudatis ut omnino inter senatus consultum et legem Vatiniam non distinguunt, ita omnes legiones simul datas referunt. Hunc numerum recte se habere ex ipso Caesare (bell. Gall. I, 7—10) discimus. Eutropius de decem legionibus cogitat (6, [14,] 17), quem numerum sub initia belli civilis saepius conscribendo Caesar Suetonio (Caes. 19) teste effecerat. Apparet eundem numerum lectum esse apud Livium, cuius historiarum epitomen fecit Eutropius (cf. Köhler qua ratione T. Livii annalibus usi sint historici p. 38 sq.), et ab Eutropio numerum legionum, quae sub exitum bellorum Caesari erant et quae initio, permutatum esse. Revera Caesari initio belli civilis novem erant legiones (Hirt. bell. Gall. VIII, 54), quo de numero, quum Cicero eiusdem aetatis homo de undecim cogitet legionibus (ad Att. VI, 7, 6), posteriores scriptores inter se dissentire rarum non est. Orosius (VI, 17) de septem cogitat legionibus, qui numerus unde ortus sit, nescimus.

Quot legati Caesari lege Vatinia dati sint (cf. Cic. in Vat. 15, 35), non traditur, an 58. sex minimum ei erant (Caes. bell. Gall. I, 52 cf. I, 5—10) an. 57 octo (Caes. b. Gall. II, 2 et 20 cf. II. 11.). Legatorum numerum lex constituebat, Caesaris erat eligere quosnam vellet (cf. Cic. de prov. cons. 17, 41). T. Labienus legatus propraetore nominatur (Caes. bell. Gall. I, 21),

itaque fortasse Caesari idem ius concessum est, quod Pompeio dein praetice (Appian. Mithr. 94 cf. inscript. Cyren. p. 10 laudatam), ut quos sibi legasset, eis potestas praetoris esset (cf. Lange III, 173), fortasse vero Labienus vocatur propraetore, quod a Caesare ei provinciae, in qua ipse non aderat, praefectus erat. Si quis duas obtinebat provincias, ita rem gestam esse, suspicatur Mommsen (röm. Staatsr. II, 1, 192), ut alteram ipse regeret, alteri suo loco — id est pro praetore — praeficeret legatum.

Caesar denique lege Vatinia pecunias accepit (Cic. in Vat. 15,36), et eo legis Iuliae capite liberatus est, quo cautum erat, ne quis extra provinciae fines belli ne senatus consulto gereret (Cic. in Pis. 21, 50). Caesari provinciae fines sine senatus consulto transgredi permissum esse, inde apparet, quod senatus huiusmodi expeditiones saepius supplicationibus decretis comprobavit (cf. Cic. ad fam. I, 7, 10 de prov. cons. 11, 27 pro Balbo 27, 61. Caes. bell. Gall. II, 35. IV, 38 VII, 90. Dio C. 39,5 et 53. 40, 50. Plut. Caes. 21. cf. Suet. Caes. 24.).

M. Calpurnius Bibulus Caesaris collega provinciam non obtinuit, annis enim 58 et 57 Romae remansit (Cic. de domo 15,39) et anno 51 in eorum numero erat, qui provinciali munere nondum functi missi sunt ad provincias administrandas (cf. p. 36).

Praetoriae provinciae ante mensem Novbr. decretae sunt (Cic. ad Q. fr. I, 2, 3, 8).

C. Fabio proconsuli obtigit Asia. — Vide cistophoros eius Pergamenos Trallianos Apamenses Ephesios (C. I. L. I, 143 no. 530). Annus OZ, qui invenitur in Ephesiis, respondet tempori inde ab auctumno anni 58 ad anni 57 (Borghesi opp. II, 435 sq.), idem annus legitur in cistophoris Ephesiis T. Ampii Balbi (C. I. L. I, 143 no. 521). Alter igitur anno 58. alter an. 57 Asiae praefuit. A. P. Lentulo, qui an. 56 Ciliciam obtinuerat, petit Cicero, ut quae Ampius de negotiis A. Trebonii decreverit, ea comprobet (ad fam. I, 3). De negotiis enim eiusdem hominis tum Asiae praeses, tum Ciliciae statuebat, quod inde ab anno 62 a. C. ad an 56 Phrygia ad Asiam pertinebat, inde ab hoc tempore ad Ciliciam (cf. Bergmann Philol II, 643 sq). Apparet Ampium Lentulo propius antecedentem quam Fabium, an. 57 Asiae praefuisse, Fabium an. 58. Hunc, nominatim non appellans, successorem Q. Ciceronis M. Cicero ad Q. fr. I, 2, 3, 8 commemorat.

L. Appuleius Saturninus obtinebat an. 58 Macedoniam[1]) Ante annum 58 hanc provinciam, cui auctumno anni 59 C. Octavius praecerat (Cic. ad Q. fr. I, 2, 2, 7. cf. p. 7), non attigit, an. 57 ei successum est (cf. p. 19).

T. Vettio Sabino Africa obtigit (Cic. pro Flacco 34, 85), quando decesserit, nescimus. —

Bithynia praetorio cuidam videtur obvenisse, Cicero enim (p. red. in sen. 18,38) dicit: «C. Piso gener, qui minas inimicorum meorum, qui amicitias adfinis mei, propinqui sui, consulis (Pisonis), qui Pontum et Bithyniam quaestor prae mea salute neglexit.» Quum mentio fiat Pisonis consulis, apparet quaestura eum functum esse an. 58. (cf. Drumann II,84). Eodem igitur anno propraetorem quendam comitans in provinciam proficisci debuit. Nomen huius praesidis ignoratur.

[1]) Schol. Bob. in Planc. p. 253 Or. cf. Cic. pro Plancio 11,28 p. red. in sen. 14,35 ad Att. III 14, 2. 23, 1 ad fam. XIV, 1 3.

Quia provincias consulibus futuris senatus decreverit, expressis verbis nusquam traditur, praeter anno A. Gabinio, L. Calpurnio Pisoni Syria et Macedonia provinciae delatae sunt lege Clodia. Res ita gesta est, ut Gabinio primum Ciliciaerogaretur, tum Syria (Cic. de domo 9,23. pro Sest. 25,55). Senatum ante legem Clodiam de provinciis consularibus statuisse, his docetur verbis Ciceronis (de domo 9,24): »tu (Clodius) provincias consulares — lege Sempronia per senatum decretas rescidisti, extra ordinem, sine sorte, nominatim dedisti — consulibus.« Idem demonstratur eo, quod anno 59. ante mensem Novbr. (Cic. ad Q. fr. I, 2, 3, 8.) senatus consultum factum est de provinciis praetoriis, cui senatus consulto de provinciis praetorum, qui erant, illud de provinciis consulum, qui futuri erant, antecedere solebat (Cic. de prov. cons. 7,17. Mommsen röm. Staatsr. II, 1,199). Quaerendum iam est, quasnam provincias nominaverit senatus.

Quam quaestionem antequam instituimus, tractandi sunt pauci Ciceronis loci, qui nostrae opinioni repugnare fortasse videantur. In oratione Sestiana (8,18) legitur: »venditabat se operis (Gabinius), atque ab eis se ereptum, ne de ambitu causam diceret, praedicabat, ab eisdemque se etiam invito senatu provinciam sperare dicebat, eamque nisi adeptus esset, se incolumem nullo modo fore arbitrabatur.« Alter locus est in oratione Pisoniana (6,12): »mihi vero ipsi coram genero meo, propinquo tuo, quae dicere ausus es (Piso)? egere, foris esse Gabinium, sine provincia stare non posse, spem habere a tribuno pl., si tua consilia cum illo coniunxeris, a senatu quidem desperasse.« Primum cogitandum est non de qualibet provincia, sed de ea, quae satis lucri Gabinio adiatura esset. Si enim putamus agi in universum de hac vel illa provincia, summis implicamur difficultatibus, sive statuimus senatusconsultum factum fuisse, quo tempore Gabinius haec dicebat, sive postea factum esse. Si illud statuimus, non intelligitur, quomodo Gabinius, quum provinciam haberet a senatu decretam, desperaverit, a senatu provinciam sibi datum iri, sin hoc, non videmus, cur Gabinius spem amiserit, fore ut sibi a senatu provincia obtingeret, quum lege Sempronia sanctum esset, ut quotannis consulibus provinciae nominarentur. Apparet igitur cogitandum esse non de qualibet provincia, sed de quaestuosa quadam. Eodem modo Cicero (in Pis. 2,5.) Antonium in consulatu collegam appellat »cupidum provinciae« non »cupidum divitis provinciae.«

Gabinio, si desperabat, a senatu provinciam, quam cupiebat, sibi decretum iri, potestas videtur fuisse sperandi, haec vero potestas, simulac senatusconsultum de provinciis consularibus factum est, ademta ei videtur. At considerandum est, usurpari tempus perfectum, neque dici Gabinium desperare, sed desperasse. Qui desperavit[2]), spem omnem amisit, neque amplius sperat neque desperat. Gabinium igitur statuemus sperasse, quoad S. C. de provinciis factum esset, eo facto, spem amisisse, fore ut a senatu quaestuosa sibi obtingeret provincia. Senatus consultum illud fieri debebat, antequam consules designati essent, eo tempore Gabinio spes provinciae concessa iam erat, quod, qua erat cum Caesare et Pompeio familiaritate coniunctus, fieri non poterat, quin crearetur. Tertius locus est in oratione Sestiana (25,55) »(lex lata est) ut Ga-

[1] Plut. Cic. 30 (A. Victor) de vir. illustr. 81. Cic. p. red. in sen. 7,18. de domo 9,23. 24,55. 23,60. 26,70. 47,124. de harusp. resp. 27,58. pro Sestio 10,24 sq. 24,53 sq. 25,55. 39,84. de prov. cons. 2,3. in Pison. 12,28. 21,49. 24,57. 39,95.

[2]) Perfectum actionis plane absolutae sicut »vixerunt«, »fuimus Troes.«

binio pro Syria sua Cilicia, quam sibi, si rempublicam perdidisset, pactus erat, Syriae daretur et uni helluoni bis de eadem re deliberandi et rogata *lege utrique potestas contra Sempronium* legem fieret provinciae commutandae.» Ut quae Mommseni coniecturae suppleta sunt, ea ita habeas, dicitur Syria Gabinio pro Cilicia hac lege data esse, et potestas bis deliberandi et provinciae commutandae. Primum nimirum Gabinius secum et cum sociis suis, ante quam lex Clodia lata esset, reputavit, quaenam potissimum in hac lege nominanda esset provincia, iterum, antequam Clodius huius provinciae nomen mutavisset.

Quae si recte disputavi, ex locis laudatis non efficitur, senatum an. 59. de provinciis consulum, qui futuri erant, non statuisse, iam igitur secundum ea, quae supra exposita sunt, quaerendum est, quasnam provincias senatus nominaverit. Cicero questus, Syriam et Macedoniam invito atque oppresso senatu a consulibus esse occupatas (in Pis. 24,57 de prov. cons. 2,3), lamentatus Ciliciam Syriam Macedoniam pro praemio suae pernicici consulibus esse traditas[1]), has provincias a senatu non esse decretas, videtur significare. Hanc sententiam amplexi sunt Mommsen (cf. Halmii adnot. ad Sestianae c. 25 § 55) Lange III, 233. Zumpt comm. epigr. II, 196. Ciliciam et Macedoniam a senatu esse decretas existimat Hofmann de orig. belli civ. Caesar. p. 6. de Cilicia idem censuit Drumann II, 262. Ego quidem Hofmanno adsensérim.

Cicero in oratione de domo habita inde a. c. 8. omnia enumerat, quae Clodius trib. pl. extra ordinem fecerit. De provinciis haec egit extra ordinem, ut primum Gabinio Ciliciam daret, tum praetori, denique Syriam Gabinio, Pisoni Macedoniam. Si senatus alias ac provincias nominatas fecisset consulares, Clodius etiam id extra ordinem egisset, ut eas praetoribus traderet, quod num Cicero, quum, ut ipse se liberet crimine imperii extra ordinem Pompeio delati, cuius Clodius eum accusaverat (l. l. 8, 18.), omnia eius extra ordinem facta enumeret, silentio praeterierit, ad modum est dubium. Contra dici potest, a Clodio Ciliciam nominatim ad praetorem translatam esse a senatu ipso provincias, quas antea decrevisset consulares, lege Clodia perlata vacuas, factas esse praetorias. At primum non constat, in lege Clodia nominatim perscriptum fuisse de Cilicia praetori tradenda, quum Ciceronis verba ita accipi liceat «per Clodium esse factum, ut a senatu Cilicia consuli alteri antea destinata ad praetorem extra ordinem transferretur.» Haec opinio eo confirmatur, quod lex Clodia ad consulares tantum provincias videtur pertinuisse, et quod permirum est, Clodium, si hanc provinciam socio cuidam suo tradidisset, permisisse, ut senatus eodem anno eam faceret consularem, quo factum est, ut illi praetorio annuum imperium obtingeret.

Ut vero statuamus, Clodium legi suae quaedam adscripsisse de Cilicia praetori tradenda, non intelligitur, cur Cicero non noverit, factum esse per Clodium, ut senatus, quas provincias anno praecedente fecisset consulares, eas iam extra ordinem faceret praetorias.

Alterum nostrae opinioni argumentum inde sumitur, quod hac aetate provincias consulares solebant esse duae Hispaniae, duae Galliae, Macedonia, Syria, Cilicia. Galliae in quinquennium Caesari datae erant, senatum igitur, nisi Syriam, Ciliciam, Macedoniam decreverit consulibus futuris, Hispanias duas nominasse opus est. Pro altera vero Hispania Ciliciam a Clodio datam

[1]) De Cilicia haec dicit pro Sestio 26,55. de Macedonia in Pis. 12,28. 24,56. de dom. 9,23. de Syria et Macedonia l. red. in sen. 7,16. ad Quir. 5,13. de dom. 21,54. pro Sest. 10,24. de prov. cons. 2,3.

esse Gabinio, verisimile non est. Quae quum ita sint, statuendum videtur, senatum an. 59 consulibus futuris Macedoniam et Ciliciam decrevisse.

Clodius lege sua potestatem consulum ad nodum videtur auxisse[1]), quod quin contra senatus auctoritatem factum sit, dubium non est. Itaque licuit Ciceroni dicere, has provincias a consulibus invito senatu esse occupatas, quod a senatu, quamquam eaedem regiones decretae erant, tamen finibus angustioribus erant circumscriptae.

Nihil obstat, quominus «foedus» illud, quod consules cum Clodio fecisse dicuntur[2]), ut si Ciceronem perdidissent, provincias, quas vellent, acciperent, referamus ad ea legis capita, quibus potestas praesidum exaugebatur. Huic opinioni argumento est, quod locis nonnullis significatur, vim legis Clodiae in eo positam fuisse, ut imperium proconsulare exaugeretur, provinciae splendide ornarentur. Cf. Cic. in Pis. 12,28: «caverat enim sibi ille sororius adulter, ut si tibi provinciam si exercitum, si pecuniam ereptam ex reipublicae visceribus dedisset, omnium suorum scelerum, socium te adiutoremque praeberes.» 16,37: «obtinuisti provinciam consularem finibus eis, quos lex cupiditatis tuae non quos lex generi tui pepigerat. Nam lege Caesaris iustissima atque optima populi liberi plane et vere liberi, lege autem ea, quam nemo legem praeter te et collegam tuum putavit, finis erat tibi Achaia, Thessalia, Athenae, cuncta Graecia addicta.» 21,49: «(Gabinius) quum fines provinciae tantos haberet, quantos voluerat, quantos optarat, quantos pretio mei capitis emerat.» 24,57: «cum — omnium tuorum scelerum haec pactio exstiterit, ut si tu totam rempublicam perdidisses Macedonia tibi ob eam rem quibus tu velles finibus traderetur.» de prov. cons. 4,7: «emisti (Piso) a foedissimo tribuno pl. — grandi pecunia, ut, tibi de pecuniis creditis ius in liberos populos contra senatus consulta et contra legem generi tui (Caesaris) dicere liceret.» pro Sestio 10,24: «foedus fecerunt (Gabinius et Piso) cum tribuno pl. ut ab eo provincias acciperent, quas ipsi vellent, exercitum et pecuniam, quantam vellent, ea lege, si ipsi prius tribuno pl. adflictam et constrictam rempublicam tradidissent.»

His expositis, nullam credo praebent difficultatem loci, quibus agitur de Macedonia et Syria vel Cilicia consulibus invito senatu traditis (cf. p. 15), senatus consultum enim illud, quo Macedonia et Cilicia factae sunt consulares, hac lege plane irritum redditum est.

Quaerentes, quas provincias consulibus anni 58. decreverit senatus, constare diximus, huiusmodi senatus consultum esse factum. Huic opinioni unum argumentum petivimus ex hoc loco orationis de domo (9,24): «tu (Clodius) provincias consulares — — lege Sempronia per senatum decretas rescidisti, extra ordinem, sine sorte, nominatim dedisti — consulibus.» — Hunc locum corruptum esse censet Lübbert (comm. syntact. pars I. Gissae 1871), quod structura «provincias decretas rescindere» ferri non possit. Hanc enim structuram, in qua, ut dicitur, participium perfecti passivi ponatur loco substantivi verbalis, si participium accusativo casu positum pendeat a verbo, non in enuntiato, nisi substantivum, cui participium adiunctum sit, nude positum cum verbo illo coniungi possit. Itaque dici posse (Liv. 21,11), «omissurum moenia arma», quum dicere

[1]) cf. Cic. de domo 9,23. 21,55. 23,60. 47,124. pro Sestio 10,24. de prov. cons. 4,7. in Pison. 12,28. 16,37. 21,49. 24,57.

[2]) Cic. de domo 9,23. pro Sestio 10,24. 25,55. in Pis. 12,28. 24,57. cf. Cic. ad fam. I, 9,13. p. red. in sen. 4,10. 7,16. 13,32. ad Quir. 5,13. 9,21. de domo 21,55. 25,60. 50,129. 51,131. har. resp. 2,3. pro Sestio 14,33 sq. 32,69. 39,84. de prov. cons. 2,3. in Pis. 13,30 sq. 24,56.

ficeat «omiserunt arma» non vero «provincias decretas rescindere», quibus addere non licuit «provincias rescindere».

Ut statuimus, hoc recte se habere quamquam locus Ciceronis (Tusc. 5,12,27[1]) huic opinioni fortasse repugnare videtur, structura, «provincia decidit», tortasse defendi potest. Verbo enim «provincia» notio propria non est geographica, sed et quamlibet curationem perficit. Curationes, quas consulibus senatus decernebat et quas unicuique, ut ita dicam, denuo constituebat duobus modis nulli poterant, et ita, ut fierent praetoriae, et ut munera et potestates consulum plane mutarentur. Utraque ratione Clodius rem gessit. Quam curationem alteri consuli senatus constituerat, eam ad praetorem transtulit, quam alteri, eam ita mutavit, ut prior illa a senatu constituta amplius non extaret. Nihil igitur est, cur sententiam nostram, Ciliciam et Macedoniam an. 59. futuris consulibus decretas esse, deponamus.

Quae de provinciis an. 58 a. C. acta sint exponitur.

Supra saepius iam mentio facta est legis Clodiae, qua A. Gabinio et L. Calpurnio Pisoni consulibus provinciae Syria et Macedonia sine sorte nominatim[2]) traditae sunt. Vidimus, Clodium, quum primo sanxisset, ut Cilicia Gabinio obvenisset, postea in rogationem, ut videtur, quo tempore publico loco proposita erat (Lange III, 293.), Syriae nomen intulisse et potestatem procousulum magnopere exauxisse. Quomodo imperium consulare auctum sit, nescimus, nisi quod Pisoni — quin Gabinio idem ius fuerit, dubium vix est — permittebatur in populos liberos de pecuniis creditis ius dicere (Cic. de prov. cons. 4,7.). In universum derogatum videtur decretis legis Iuliae[3]), quibus prospiciebatur populis liberis, qui in provinciis sedes habebant[4]), et cavebatur, ne quis sine senatus consulto trans fines provinciae bella gereret (Cic. in Pis. 21,50), expressis autem verbis ius belli trans fines provinciae gerendi eis traditum non videtur, quum Gabinius, quod sine senatusconsulto Ptolemaeum Auletam regem Aegyptium restituisset, lege Iulia condemnaretur (Cic. pro Rab. Post. 8,20.).

Cicero denique, quum (de dom. 9,23. 21,55. cf. in Pis. 16,37. 24,57.) mentionem faciat imperii infiniti, quum rhetorice exornat. Imperium enim infinitum id est, quo alteri omnibus in

[1]) caerimoniis sacrorum — quas nec tanta cura coluissent, nec violatas tam severe vindicarent, rebus quae sanxissent.

[2]) Cic. de dom. 9,23: «Gabinio — Syriam nominatim dedit»; ibid. § 24: «provincias — extra ordinem sine sorte nominatim dedisti — consulibus.» pro Sest. 10,25: «romulgantur — rogationes ab eodem tribuno pl. de mea pernicie et de provinciis consulum nominatim. His locis docetur, quam quisque provinciam, in lege scripserit. cur Mommsen (cf. Halmii adnot. ad Sestiana c. 25.) verisimile esse putet, provinciam in lege nominatim non fuisse, nescio.

[3]) Cic. de domo 9,23. 21,55. 23,60. 47,124. pro Sestio 64,135. de prov. cons. 4,7. in Pis. 16,37. 21,49. 24,57. pro Rab. Post. 8,20.

[4]) Cic. in Pis. 16,37. de domo 9,23. de prov. cons. 4,7. auct. belli Afric. 87.

provinciis imperium [illegible] maius quam praecides obtinent vel aequum datur[1]), quo de imperio nostro loco cogitari non licet. Hac lege provinciae consulum splendide ornatae, id est pecunia, exercitu, legatis instructae sunt. Legionum numerus ignoratur, Piso eum transgressus videtur (Cic. in Pis. 16,37). Fortasse lege Clodia eodem modo quo Trebonia (cf. p. 26.) consulibus permissum est, ut, sicut olim fuerat, quantum vellent, exercitum conscribere[2]) (cf. Mommsen röm. Staatsr. II, 1,90.). Legatos si senatus decernebat, ultima reipublicae liberae aetate eo perventum erat, ut consul vel praetor, quos vellet, sibi legaret (cf. Mommsen l. l. II, 1,641.). Populus nihil umquam videtur constituisse, nisi quo qualesque essent, ita ut imperator, quos vellet, sibi eligeret. Ita lege Gabinia Pompeius sibi elegit legatos (Cic. pro lege Manil. 19,57. sq.), lege Vatinia Caesar (p. 12.), lege Clodia Piso (Cic. pro Sestio, 14,33.), lege Cornelia Caecilia an. 57. Pompeius (Cic. ad Att. IV, 1,7.). Quin Gabinius item, quos vellet, sibi legaverit, dubium non est.

Quot annos Piso et Gabinius in provinciis essent, lege Clodia sanctum non videtur. Senatus enim id egit, ut eis anno 56. succederetur, quod si perfectum esset, annuum utrique obtigisset imperium, quod tempus lege eis praefinitum esse, credi non potest, quum ante annum unum nemo ex provincia revocari posset. De his senatus conatibus hoc uno loco orationis de provinciis consularibus anno 56. habitae edocemur (6,13): «vos (senatores) anno superiore (sc. 57. a. C.) hos eosdem (Gabinium et Pisonem) revocabatis, quo tempore si liberum vestrum iudicium fuisset, nec totiens dilata res, nec ad extremum e manibus erepta, restituissetis — vestram auctoritatem, eis, per quos erat amissa, revocatis» Quum res saepius dilata esse dicatur, apparet, actum esse de provinciis praetoriis, quum, ne senatusconsultum de consularibus impediretur, lege Sempronia cautum esset. Praetores anni 57. anno insequente provincias susceperunt. Tum dicit Cicero, si senatus consultum factum esset, iam, id est anno 56., senatus auctoritas restituta esset, Piso et Gabinius revocati, neque accidisset Gabinio, ut eius litteris fides non haberetur, id quod factum est Idib. Maiis ann. 56. (Cic. ad Q. fr. II, 3 (8), 1). Idem igitur ex hac ratiocinatione apparet, successores, quos senatus mittere volebat, an. 56. Syriam et Macedoniam suscepturos fuisse, id quod cadit in praetores anni 57.

Lex lata videtur medio fere mense Martio, quo tempore Cicero ex urbe iam decesserat, cf. Cic. ad Att. III, 1: «de provincia Macedonia perlata lex est.» Ep. scripta in itinere. Quod hoc loco Macedonia una commemoratur, concludi non licet, de utraque provincia legem singularem esse latam, quum ad Atticum, cuius bona in Epiro erant sita (Drumann V, 62.), ea una huius legis pars pertinuerit, quae erat de Macedonia. Caesar, qui mense Martio in provinciam advenit (Caes. bell. Gall. I, 6—8), ante portas urbis exspectavit, donec Cicero ex urbe decessisset (Plut. Caes. 9, cf. Cic. pro Sestio 18,41. p. red. in sen. 13,32.), hanc vero legem una cum ea de permicie sua — id est cum ea, qua sanctum erat, ut, qui cives indemnatos interfecisset, ei aqua et igni interdiceretur (Dio C. 38,14. Vell. II, 45. Cic. ad Att. III, 15,5.) — promulgatam in ipso discessu suo latam testatur Cicero (p. red. in sen. 7,18. pro Sest 33,71 sq.). Consules in provincias videntur profecti, antequam consulatus annus plane praeteriisset (Cic. ad Att. III, 22, pro Sestio 33,71 sq.).

[1]) Cic. ad Att. IV, 1,7. cf. Varro, act. II, 2, 3, 8. Vell. II, 31. Mommsen röm. Staatsr. II, 1,616 sq.

[2]) Cic. post red. in sen. 7,18. de domo 9,23. 21,55. de har. resp. 27,58. pro Sestio 10,24. 14,33. in Pis. 16,37. 24,57. 35,86.

Piso Macedoniae per triennium praefuit (Cic. in Pis. 35,86.), sive per terna aestiva (Dio 40,97.), successit ei C. Ancharius (cf. p. 23) praetor anni 56. (Cic. pro Sestio 58,123. schol. Bob. in Sest. p. 304. Or.), cui auctumno anni 55. tertia Pisonis aestate peracta in Macedoniam videtur advenisse, de proconsulatu Pisonis cf. orationem Pisonianam. Gabinio anno 55. successit M. Licinius Crassus (cf. p. 25). De eius proconsulatu cf. Cic. Phil. II, 19,48. in Pis. 21,49. pro Rab. Post. c. 8 sq. Dio C. 39,55 sq. App. Syr. 51. bell. civ. II, 24. Plut. Anton. 3. Ioseph. ant. Iud. 14,7,1. bell. Iud. 1,8,8. Pomp. Trog. prol. XL. Liv. ep. 105. Val. Max. IX, 1, ext. 6. —

Provinciae praetoriae.

T. Ampio Balbo proconsuli Asia obtigit (cf. p. 13). Imperium eius annuum videtur fuisse, tres enim dioeceses Phrygiae antea ab Ampio postea a Lentulo, qui anno 56. Ciliciam suscepit, gubernatae sunt (cf. Bergmann Philol. II, 643 sq.). Hanc regionem ab Asia, quacum inde ab anno 62. coniuncta erat, ad Ciliciam translatam esse post Ampii discessum ante Lentuli adventum, verisimilius est, quam Ampio, quo tempore Asiam gubernabat, adiectam esse. Cur Asiae et Ciliciae fines mutati sint, non traditur, lege Clodia factum non est, quum Ampius an. 57 intra fines non mutatos Asiae praeesset. Inde ab anno 56. Cilicia per sexennium a consularibus gubernata est, a P. Lentulo, Appio Claudio, M. Cicerone, quibus omnibus Phrygia erat subiecta, consules annorum 60—58. Ciliciam non obtinuerunt. Quae quum ita sint, inter has duas res, ut Cilicia fieret consularis, et ut compluribus regionibus augeretur, rationem quandam intercessisse statuerim.

Ciliciae lege Clodia perlata vacua obvenit praetorio cuidam cf. p. 15. Cicero scribit Appio, consuli an. 54., cui in Cilicia succedit (ad fam. III, 7,5.): «illud idem Pausania dicebat te dixisse: quid Appius Lentulo (Appius Lentulo in Cilicia successit), Lentulus Appio processit obviam, Cicero Appio noluit.» Ex verbis «Cicero Appio, Appius Lentulo» apparet, agi de officio, quod more maiorum (cf. eiusdem epistolae §. 4) praeses advenienti debet decedenti. Post «Lentulus» igitur eius, cui Lentulus successit, nomen scribendum est. Hoc perspiciens C. F. Hermann (Philol. II, 114.) coniecit «Ampio», quod nomen in textum receperunt Klotz Wesenberg Baiter Hoc nomen ferri non potest, quum ex epistola I, 3. ad fam. non efficiatur, ut Hermann et Drumann II, 262 volunt, Lentulo antecessisse Ampium, quem Asiae praefuisse constat. Quod nomen lateat sub hac corruptela — Appius Claudius nullo hac aetate invenitur nisi consul anni 54. (cf. Drumanni stemma Claudiorum II, 164.) — adhuc discerni non potest.

C. Memmio praetori (Suet. Caes. 23. schol. Bob. in Sest. p. 297. Or. Cic. ad Q. fr. I, 2, 16.) Bithynia obtigit (cf. Catull. 28,7 sq. 10,6 sq. 31,5 sq.). Imperium eius annuum fuit.

Ceteri huius anni praetores num in provincias profecti sint, ignoramus (cf. Hermann fast. praet. p. 62).

Consulibus futuris senatus decrevit Ciliciam et Hispaniam citeriorem, illam sortitus P. Cornelius Lentulus Spinther usque ad annum 52. gubernavit[1]), hanc Q. Metellus Nepos usque ad

[1]) C.I.L. I, 1143 no. 715. Cic. ad fam. I 7, 1 9,25. II 7,3. ad Q. fr. III, 2,3. ad Att. IV, 18,4 (16,12). [illegible] universum [illegible] Cic. ad fam. I, 9.

[illegible] Plut. Caes. 21. cf. Cic. ad fam. V, 31. De provinciis praetoriis et consularibus senatusconsulta facta sunt ante mensem Decbr., quo Cicero Dyrrhachii audit, consulares esse ornatas (ad Att. II, 14, 1), post legem Clodiam [illegible] latam. Si enim antequam lex Clodia perlata esset, senatus Ciliciam consuli alteri anni insequentis decrevisset, Clodius imperium annuum Gabinio non delaturus fuisset. Tum senatui Cal. Iun. placuit, ut omnia reicerentur, nisi antea de Ciceronis relatum esset (Cic. pro Sest 31,68. ad Att. II, 4,2 Plut. Cic. 33.), itaque concluditur, inter mensem Martium medium et Cal. Iun. senatus consulta de provinciis et praetoriis et consularibus facta esse.

Anno 59 a. Chr. num senatusconsultum de provinciis consulum, qui futuri essent, factum sit, et hi ea provincias consules susceperint, vehementer dubitatur.

L. Marcius Philippus alter anni 56. consul provinciam ex consulatu obtinuisse non videtur, quum anno 49. in numero eorum esset, qui provinciali munere nondum functi, provincias ex legibus Pompeia et Claudia (cf. p. 34 sq.) debebant administrare. Apud Caesarem (bell. civ. I, 6.) leguntur haec: «provinciae privatis decernuntur, duo consulares, reliquae praetoriae. Scipioni (cos. an. 52.) obvenit Syria, L. Domitio (cos. an. 54.) Gallia, Philippus et Cotta privato consilio praetercuntur, neque eorum sortes deiciuntur.» L. Aurelius Cotta consul anni 65. insequente anno censore functus (Plut. Cic. 27, de Boor. fast. cens. p. 64.) ex consulatu provinciam non obtinuit. Nipperdey (quaest. Caesar. p. 128) «consules» scribendum censuit, qua vero protulit argumenta ab Hofmanno (de orig. bell. civ. Caesar. p. 145 sq.) refutata mihi videntur. Necesse enim non est, quod Caesar notat, privatis provincias decerni, duosque appellat praeteritos, eos nominari, quibus prae ceteris ius sit provinciae sortiendae, quum ei quoque praetereantur, qui «quum idem quod alii ius habeant, eodem honore digni non habentur.» Si revera eos nominari opus est, quibus ex vetere usu provinciae obvenire debebant, cum Kranero nomina consulum anni 50. «Paulus et Marcellus» in textum inserenda sunt, quum consules an. 49. neque ex vetere neque ex novo usu in provincias mitti licuerit. Caesar eo consilio videtur notare, provincias privatis decerni, ut doceat, quantopere, quae legibus Claudia et Pompeia facta sint, abhorreant ab usu et consuetudine Romanorum. Leges illas, quarum ipse facit mentionem (l. l. I, 85), ab eo dissimulari, persuadere mihi non possum. Talis vero dissimulatio, quam quo modo Caesar speraverit, ab hominibus eiusdem aetatis animadversum non iri, non video, statuenda est, si nobis Nipperdeii vel Kraneri coniectura probatur.

Zumpt comm. epigr. II, 206 et, postquam Hofmanni l. l. p. 151 rectissime ei contradixit, stud. Rom. p. 179 sq. scribendum censet «Philippus et Marcellinus» (cos. an. 56.). Disputat sic: Ut quisque primus functus est consulatu, ea in provinciam exiit, iuris est postquam lege Pompeia sanctum est, ne quis ex consulatu et praetura in provinciam proficisceretur, praeterea ad sortitionem admissus est, itaque sexto, neque anno 51., quo Cicero missus est, ultra annum 53. ascendere potuit, neque anno 49., quo Philippus mitti debebat, ultra annum 51. Nullum huius opi-

nionis argumentum protulit v. d. nisi senatus auctoritatem, quae est in ep. Q. fr. I (ad fam. VIII, 8,8.), qua, quum ad praetorias provincias pertineat, Zumptii sententiam non confirmat.

Si Zumptii opinio nobis probatur, non intelligitur, cur ante Ciceronem in provincias missi non sint M' Aemilius Lepidus cos. an. 66, L. Aurelius Cotta cos. an. 65, L. Caesar cos. an. 64. Quorum nullus in provinciam exiit, Lepidus enim an. 67, testimonium in C. Cornelium Romae dixit (Ascon. in Cornel. p. 60. Or.), Cotta an. 64. censuram gessit (cf. p. 20), Caesar an. 63. de Catilinariis verba fecit in senatu (Cic. ad Att. XIII, 21,1.). Vixisse eos an. 49. apparet ex epistolis Ciceronis ad Att. VII, 13,1. ad fam. XII, 2,3. Ceteros, quos Hofmann l. l. p. 145. enumerat consulares, quos ante Ciceronem et Bibulum in provincias mitti opus fuerit, omisi, quod non satis constat, eos in provincias non exiisse.

Denique Zumpt non docuit, Marcellinum ex consulatu in provinciam non exiisse, neque ullam adtulit causam, cur Marcellinus optimatium partes secutus (Cic. ad Q. fr. II, 4,4 sq. Dio C. 39,27 et 30. Drumann II, 406.) praeteriretur. Cottae vero et Philippo haec iniuria illata videtur, quod propter affinitatem Caesaris (cf. Plut. Cic. 44. Suet. Aug. 8. et 4. Caes. 1. Tac. dial. 28.) suspecti erant optimatibus.

Apparet, non esse cur in loco laudato Caesaris scripturam codicum mutemus, quo concesso patet, L. Marcium Philippum ex consulatu in provinciam non exiisse, Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus autem anni 56. consul num item in urbe remanserit, plane nescimus, cf. Drumann l. l.

Provinciae praetoriae.

Appio Claudio Pulchro praetore (Cic. in Pis. 15,35. Ascon. in Pis. p. 11. Cr. Wehrmann fast. praet. p. 63.) Sardinia obtigit (Plut. Caes. 21). Anno 55. ei successum est (cf. p. 24).

Q. Valerius Orca Africam obtinuit proconsule (Cic. fam. XIII, 75 A et B.) praetura functus anno 57. (Cic. p. red. in sen. 9,23. Wehrmann l. l. p. 64.), quo anno de provincia decesserit, nescimus.

C. Caecilius Cornutus praetor (Cic. l. l.) Bithyniam obtinuit, vide nummum Amisenum eius nomine signatum apud Borghesium opp. II, 354. Quando decesserit, ignoratur.

L. Caecilius Rufus ex praetura (Cic. l. l. Wehrmann l. l.) provinciam quandam obtinuit pro consule, cf. elogium sepulcro eius incisum C. I. L. I, p. 187 no. 639.

M. Calidius praetor (Cic. l. l. Wehrmann l. l.), quum an. 49 Galliam citeriorem regeret (Hieron. chron. p. 137. Schöne.), ex praetura in provinciam exiisse non videtur. Ceteri huius anni praetores (Wehrmann l. l.) utrum provincias acceperint necne, nescimus. Hi praetores in provincias profecti non sunt ante mensem Febr. anni 56. quo ineunte senatus consultum de provinciis praetoriis ornandis nondum factum erat (Cic. ad Q. fr. II, 3,1).

Anni 56. a. Chr. mense Febr. ineunte C. Cato tr. pl. legem promulgavit de imperio Lentulo Ciliciae proconsuli abrogando (Cic. ad Q. fr. II, 3,1. ad fam. I, 5A, 2. 5B, 2. pro Sestio 69,144.), quae quominus perferretur, usque ad mensem Apr. per Cn. Marcellinum consulem impe-

dium est (Cic. ad Q. fr. II, 4,5 sq.), neque umquam perlata est, quum Lentulus anno demum 53 de provincia decesserit.

Caesari, quamvis M. Favonius contra niteretur (Plut. Caes. 21), Cicerone prae ceteris cuncte stipendium auctum est — pecunia lege Vatinia et a senatu data ad quattuor legiones mittendas, quum Caesar quattuor praeterea conscripsisset (Caes. b. G. I, 10. II, 2.), amplius non suppeditabat — et decem legati decreti, a quibus in Galliis provincia constituenda adiuvaretur (Cic. ad fam. I, 7,10. de prov. cons. 11,20. pro Balbo 27,61. Dio C. 39,25.). — De his legatis cf. Peter (Philol. VIII, 425. Gesch. Roms II. 240), Lange (röm. Staatsaltert. III, 322), Mommsen (röm. Staatsr. II, 1,654.).

Quomodo de provinciis consulum, qui futuri essent, senatus deliberaverit, potissime discimus ex oratione Ciceronis de provinciis consularibus hoc in senatus consessu habita. Senatus de his rebus deliberavit post Idus Maias[1]), antequam Cic. ep. I,7. ad familiares daret (cf. finis ep. § 10.: «Caesari — ne lege Sempronia succederetur, facile perfectum est»). Hanc epistolam Gruber de tempore atque serie epp. Cic. p. 6 sq. mense Iunio vel Iulio scriptam putat, quod Lentulus iam rescripserit (§ 11.) de Tulliae sponsalibus mense Aprili ineunte factis (Cic. ad Q. fr. II, 5, 1.). Eadem de causa, quod epistolae Romam in Ciliciam per duorum fere mensium spatium perferri solebant (cf. Hofmann de orig. bell. civ. Caesar. p. 59. Br. Nake in Fleckeiseni annal. tom. 89. 1864. p. 66.), mense Augusto eam scriptam putaverim. Quum quanto post, quam senatus de provinciis deliberaverat, haec epistola conscripta sit, nesciamus, non multum nostra interest accurate scire, quo tempore data sit.

Supplicationes quindecim dierum paullo, ut videtur, ante, quam de provinciis deliberabatur, Caesari decretae sunt[2]) ex litteris, quas ex hibernis an. 57. exeunte vel an. 56. ineunte ad senatum miserat (Caesar bell. Gall. II,35.). Decretae videntur mense Maio, quo tempore Pompeius ex conventu Lucensi redierat (Cic. ad fam. I, 9,8 sq. ad Q. fr. II, 5 (6), 3. 6 (8),1 sq.). Paullo post mense Maio vel Iunio senatum de provinciis consularibus deliberasse, statuerim. A Philippo senatus habitus videtur (Cic. de prov. cons. 9,21.), neque enim consules coniuncti cum senatu videntur egisse, quum alter censeret, cisalpinam certe Galliam Caesari adimendam esse (l. l. 16,39.), id quod non cadit in Philippum Caesaris propinquum (Suet. Aug. 8. cf. c. 4.) et eius partes secutum (Caes. b. civ. I, 6.), sed in Marcellinum (p. 20.). Quum non appareat, cur Cicero Philippum appellaverit, nisi ab eo senatus habebatur, statuemus, Marcellinum illud censuisse oratione habita antequam sententiae perrogarentur. Secundum orationem Ciceronis censuerunt alii, quo in numero Cicero erat (7,17 sq.) et P. Servilius Isauricus (I,1.), consulibus futuris Syriam decernendam esse et Macedoniam, alii duas Gallias (7, 17), alii alteram Galliam et aut Syriam aut Macedoniam (l. l.). Huius sententiae auctores Cicerone teste (15,36sq.) cogitabant de Syria et Gallia aut transalpina aut cisalpina. Eodem modo eorum, qui Macedoniam et alteram Galliam decernebant, sententias esse divisas, quamquam expressis verbis non traditur, suspicari licet. Cicero hoc tempore causam Caesaris et Pompei sustinere coactus (Drumann III, 265.), id egit, ne Galliae duae decernerentur consulares, quod ut efficeret, — quae de Gabinio et Pisone revocandis disputavit

[1]) Cic. ad Q. fr. II, 6 (8), 1: „Idib. Mai. senatus frequens divinus fuit in supplicatione Gabinio deneganda," de prov. cons. 6,14: „senatus — frequens supplicationem Gabinio den gavit."

[2]) Cic. de prov. cons. 11,26: „supplicationem quindecim dierum decrevi sententia mea." 10,25: „in ulla supplicatione quam ego decrevi." cf. Cic. ad fam. I, 7,10. pro Balbo 27,61. Dio C. 39,5. Plut. Caes. 21.

cognoscere nostra non interest — docuit Galliam ulteriorem decerni non posse propter rationem belli Gallici, citeriorem, quod a consule, cui obvenisset, Cal. demum Martiis anni 54. suscipi posset.

Senatus quum deliberans non de Galliarum successione sed de provinciis consularibus (cf. 2,3. 7,1[7]. 15,36 sq.) Caesari succedendum non censeret (Cic. pro Balbo 27,61 ad fam. I, 7,10), res ita composita est, ut aliae ac duae Galliae provinciae fierent consulares, neque Drumanno censenti (V, 715), senatus consultum factum non esse, assentire licet.

Apud Asconium leguntur haec (arg. Pison. p. 2 Or.): «Quum revocati essent ex provinciis Piso et Gabinius sententia Ciceronis quam dixerat de provinciis consularibus Lentulo et Philippo consulibus, reversus in civitatem Piso de insectatione Ciceronis in senatu questus est — — — Pisoni Cicero respondit hac oratione (Pisoniana).» Apparet sententiam Ciceronis, qua Syriam faciebat consularem[1]), probatam esse senatui, dubitatur autem, quum constet Pisoni Q. Ancharium praetorem anni 56 successisse (v. infra), utrum sententia Ciceronis, qua Piso revocatus dicitur, sit ea, qua Macedoniam consulibus anni 55. decreverat, an, qua praetoribus anni 56. (l. l.). Attamen, quum Asconius Pisonem appellet revocatum sententia Ciceronis, quam de provinciis consulum tulerat, statuerim Hofmannum (l. l. p. 6) secutus, non modo eam partem sententiae, quam revera de provinciis praetoriis tulerat, probatam esse senatui, sed etiam eam, qua Macedoniam fecerat provinciam consularem. Adde quod in oratione de provinciis consularibus agitur de quattuor provinciis, de Galliis, de Syria et Macedonia. E quibus quum duae decernendae essent, neque Galliae fierent consulares, Macedoniam et Syriam nominatas esse necesse est. Neque enim dicere licet, a Cicerone de his quattuor tantum provinciis verba fieri, quod, antequam hanc sententiam tulisset, de pluribus sententiae non essent latae, postea alias quoque nominatas esse provincias. Considerandum enim est, a Cicerone hanc orationem in publicum editam esse, postquam senatus habitus est, quo tempore quin, quaecunque sententiae latae erant, eas cognitas habuerit, et, si opus fuerit, refutaverit, dubium non est. Hac igitur oratione quum tantum Galliae duae, Syria atque Macedonia commemorentur, demonstrari existimaverim, de aliis provinciis eo tempore in senatu omnino actum non esse. Veri quadam specie concludi licet, Syriam factam esse consularem et Macedoniam, Syriam et Hispaniam alteram consulibus futuris decretas esse, id quod Zumpt stud. Rom. p. 77. Lange (röm. Staatsaltert. III, 324.) censent, nullo probatur argumento.

Provinciae praetoriae

Syria contra sententiam Ciceronis (cf. n. I.) praetoria non est facta (Cic. in Pis. 36,88).

Macedonia obtigit Q. Anchario praetori proconsule (Cic. in Pis. 36, 88 sq. ad fam. XIII, 10.).

Asiam obtinuit C. Claudius Pulcher praetor huius anni (Dio 39,21. Wearmann fast. praet. p. 65) proconsule. Vide cistophoros Ephesi Trallibus Pergami cusos eius nomine signatos. Annus II in Ephesiis incerta est lectione, C. I. L. I, 143 no. 522. cf. Cic. ad Att. IV, 15,2. Ex Asia,

[1]) 7,17: „ego quidem, qui nunc consulibus eis, qui designati erunt, Syriam Macedoniamque decerno, decernam easdem praetorias, ut praetores annuas provincias habeant."

quam provinciam, quo tempore oratio Scauriana habebatur, id est mense Septbr. anni 54 (Ascon. in Scaur. p. 18 Or.), obtinebat (Cic. pro Scauro 15,35. schol. Bob. in Scaur. p. 374 Or.), ante an. 53. ineuntem decessisse non videtur (cf. Waddington fastes des provinces Asiat. p. 676). Hoc tempore eum decessisse, hac de re verisimile est: C. Scribonius Curio an. 53. ineunte Romam regressus est ex Asia (Cic. ad fam. II, 1,1. cf. II, 1,2. 3,1. 5,2), qua in provincia publico quodam munere videtur functus esse, cf. l. l. I. 5,1: «excelso et illustri loco sita est laus tua, in plurimorum et sapientium et civium conspectu, quae ad nos nec obscuro nec vario sermone, sed et clarissima et una omnium voce perfertur.» Aedilis an. 53. creatus (Plut. Cat. min. 46), legati sive quaestoris munere functus videtur apud C. Claudium — ab eo enim an. 54. Asia gubernata est. Concludi licet, quo tempore ex Asia revertebatur Scribonius legatus sive quaestor, eodem tempore ex Asia decessisse C. Claudium, apud quem hoc munere functus erat. Orelli (onom. Tull. II, 384.) Q. Marcium Philippum anno 54. Asiae proconsulem fuisse censet (cf. Cic. ad fam. XIII. 73—74), hunc vero non Asiae sed Ciliciae praefuisse post an. 46. ante an. 43. docuit Bergmann (Philol. II, 643).

M. Aemilio Scauro praetori (Wehrmann l. l. p. 66) obtigit Sardinia, unde Romam rediit mense Junio an. 54. (Ascon. in Scaur. p. 18. sq. Or.).

Quae anno 55 a. Chr. Romae de provinciis acta sint exponitur.

Lege Trebonia multo tumultu perlata[1]) Syria Crasso, duae Hispaniae Pompeio in quinquennium delatae sunt[2]). Ut Hispania loco Macedoniae fieret consularis, occasionem videtur praebuisse bellum ibi gravius exortum, cui Metellus Nepos, quamquam paullulum profecerat, impar videbatur (Dio C. 39,44). Zumpt stud. Rom. p. 77 censet, Metellum hoc anno obiisse, quod fieri non potuerit, ut Pompeius tantam ei inferret iniuriam. Iniuriam, quum Metellus triennium Hispaniae praefuerit, non video. Magnopere autem obstat Zumptii opinioni, quod Metellus mense Septbr. an. 54. (Ascon. arg. Scaur. p. 18 Or.) Scaurum in iudicio laudavit (l. l. p. 20). Hanc laudationem num anno 55 conscripserit, id quod Zumpt statuit, prospiciens fore ut an. insequente Scaurus accusaretur, magnopere dubito.

Hac lege, quum legi Juliae derogaret, consulibus permissum est sine senatusconsulto extra provinciae fines bella gerere (Dio C. 39,33. Plut. Cat. min. 43). Hac de causa factum videtur, ut auctores nostri partim scriberent Pompeio Libyam et Hispaniam esse datam (Plut. Caes. 28. Cat. min. 43. Pomp. 52. Appian. b. civ. II,18), partim Crasso Syriam et Aegyptum (Plut. Cat. min. 43.) vel bellum Parthicum (Liv. ep. 105 Eutrop. 6,18 (15). Oros. 6,13. Plut. Pomp. 52). Aegyptus Crasso delata non est, quum Ptolemaeus Auletes incunte an. 55. a Gabinio, Pompeio auctore, reductus esset (Dio C. 39,55 sq. Cic. ad Att. IV, 10. in Pis. 21,48), neque Libya Pompeio

[1]) Plut. Cat. min. 43. Nic. et Crassi syncr. 2. Dio C. 39,33 sq. Liv. ep. 105.

[2]) Plut. Cat. min. 43. Pomp. 52. Crass. 15. Dio C. l. l. c. 39,54. Appian. bell. civ. II, 18. Vell. II 46 et 48. Liv. l. l.

tradita est, quum Africa per annos insequentes ab aliis gubernaretur (cf. p. 34), Cyrenaica anno 51 a praetorio quodam (Cic. ad fam. VIII, 8,8). Nihil igitur concluditur, nisi lege Trebonia Pompeio permissum esse, in Mauretania bella gerere (cf. Zumpt stud. Rom. 79.) Neque vero de huiusmodi expeditione, neque de bello Parthico in lege nominatim scriptum fuisse videtur, quum Crasso ex urbe profecturo, quod genti pacatae «nulla causa» belli illaturus esset, et tribuni pl. [1]) et senatus resisterent. Tribuni num id facturi fuerint, si in lege de bello Parthico nominatim fuisset perscriptum, vehementer dubito. Ad senatus conatus spectare videntur haec verba Ciceronis (ad Att. IV, 13,1.): «afuisse me in altercationibus, quas in senatu factas audio, fero non moleste, nam aut defendissem, quod non placeret, aut defuissem, cui non oporteret.» Haec verba ad Crassum pertinere verisimile est propter enuntiatum insequens (§ 2) «Crassum quidem nostrum minore dignitate aiunt profectum paludatum, quam olim aequalem eius L. Paullum, item iterum consulem. O hominem nequam.» Quod si tenemus, locus facillimus est ad explicandum. Cicero hoc tempore trium virorum causam sustinere coactus in senatu aut defendisset Crassum, adductus auctoritate Pompeii, quamvis ipse ab eo alienus esset, aut ei defuisset, quamvis propter illam Pompeii familiaritatem non deberet (cf. Cic. ad fam. I, 9,20). Altercationes in senatu factae, quum ad Crassum pertinuerint, referendae videntur ad consilium eius belli Parthis inferendi, quod, si impugnabatur, lege sanctum non erat. Praeterea et Plutarchus (Crass. 16.) verbis expressis negat, in lege Trebonia scriptum fuisse de bello Parthico, et Appianus (bell. civ. II, 18) atque Velleius (II, 46.) narrant, Crasso bellum Parthicum in animo molienti Syriam esse decretam, et mirum videtur, Crasso, cui infinita quaedam esset belli gerendi potestas (p. 24.) bellum quoddam nominatim esse delatum.

Ut consules eo legis Iuliae capite, ne quis sine senatusconsulto trans provinciae fines bellum gereret, liberati sunt, ita Crassus legatos, qui provinciam a Gabinio susciperent, praemisit (Dio C. 39,60.), quamquam olim sanctum erat, ne quis provinciam, antequam iniisset, legatis traderet administrandam (Ulpian. dig. I, 16,4. Mommsen röm. Staatsr. II, 1,187). Eodem modo Pompeius per causam rei frumentariae, quae anno 57 in quinquennium ei delata erat (Cic. ad Att. IV, 1,7. Plut. Pomp. 49 sq.), provinciam, quam numquam adtigit, per legatos administravit (Dio C. 39,39. cf. Vell. II, 48. Caes. bell. civ. 1,85. Appian. II,18. Plut. Pomp. 53. Crass. 16. Cic. ad fam. VII, 5,1).

Imperium Crassi et Pompeii a quo die inceperit, nusquam traditur. Hic dies fuit ante mensem Novbr. vel Octbr. quo Crassus legatis praemissis in provinciam profectus est (Cic. ad Att. IV, 13. Plut. Pomp. 52). Verisimile et per se est, hunc diem fuisse Cal. Mart. (cf. Mommsen Rechtsfrage p. 12. sq.), et quod anno 56. cognitum erat, quanto esset Caesari commodo, quod imperium eius Cal. Mart. exibat. Hofmanni opinio (de orig. belli civ. Caesar. p. 18.) eandem diem Crasso et Pompeio praefinitam fuisse, quae Caesaris imperio prorogato, refutata est a Mommseno (l. l. p. 39.).

Hac lege consules exercitu, pecunia, legatis instructi sunt. Plutarchus (Pomp. 52.) Pompeio quattuor legiones traditas narrat. Hoc de numero dubitandum fortasse est, quum idem eodem loco narret, Caesari ad bellum Gallicum a Pompeio duas legiones esse datas, quamquam certo constat, unam legionem a Pompeio accepisse Caesarem [2]), et quum Caesar (bell. civ. I, 85.)

[1]) Cic. de fin. III, 22,75. de divin. I, 16,29. Appian. II, 18. Plut. Crass. 16. Vell. II, 46. Dio C. 39,39.
[2]) Hirt. b. Gall. VIII, 54. Caes. bell. civ. I, 9. Appian. II, 29. Dio C. 40,65. cf. Plut. Caes. 29. Pomp. 56.

ces legiones a Pompeio in Hispaniam missas et unam ibi conscriptam distinguat ita, ut appareret videatur, ex illis lege Trebonia Pompeio esse permissas. Verba Cassii Dionis (39,33) «*τοῖς ὑπάτοις — ἔδοσαν τὴν μὲν τὴν ἐξουσίαν — τῷ δὲ τὰς ἰδίας — ἄρχειν καὶ νέους ἐς δισχιλίους ἀγραφίους τε ὁπόσους ἂν ἐπιλέξωσι καὶ τῶν πολιτῶν καὶ τῶν συμμάχων χρωμένοις*,» significant consulibus vetus ius conscribendi, quot vellent milites, concessum esse (cf. Mommsen röm. Staatsr. II, 1,90). Ex eis non consequitur, in lege Trebonia certum legionum numerum non fuisse definitum. Certum numerum in lege scriptum fuisse, apparet ex similitudine aliarum huiusmodi legum, cf. de lege Vatinia p. 12. de lege Clodia p. 18. de lege Gabinia Plut. Pomp. 26. Crasso, quo tempore Euphratem transiit, septem erant legiones[1]), quarum quot populus dederit, nescimus.

Crassum et Pompeium provincias a senatu decretas sortitos esse, narrant Plutarchus (Crass. 15.) Appianus l. l. Orosii verba (VI, 13): «Crassus provinciam sortitus in Parthos» quum forma paullo mutata petita sint ex hoc Eutropii loco (6,18): «Crassus — contra Parthos missus» (cf. Mörner de Orosii vita eiusque hist. libr. p. 134.) argumento non sunt, sortitionem revera esse factam. Hac de re quum a reliquis auctoribus nihil tradatur, in incerto relinquendum est, utrum consules lege Trebonia iussi sint provincias sortiri, vel inter se parare, id quod statuit Drumann III, 281., an nominatim sanctum sit, quae cuique obveniret provincia.

Legem Treboniam ante mensem Apr. latam esse, cum Drumanno (IV, 93.) et Langeo (III, 330.) statuerim propter hunc Ciceronis locum (ad Att. IV, 9, 1. ep. scripta a. d. IV. Cal Maias): «nos hic (Neapoli) cum Pompeio fuimus, multa mecum de republica, sane sibi displicens, ut loquebatur — sic est enim in hoc homine dicendum —, Syriam spernens, Hispaniam iactans, hic quoque ut loquebatur.» Verba «Syriam spernens, Hispaniam iactans» Zumpt stud. Rom. 79. refert ad senatusconsultum anni superioris, quo Syriam et Hispaniam citeriorem provincias consulares factas statuit. Primum vero verisimilius certe est, Macedoniam an. 56. decretam esse consularem quam Hispaniam. Tum dicit Zumpt, Pompeium poenituisse provinciarum, quas Crasso et ipsi senatus nominaverat, aestate anni 55, qua Metellus bellum in Hispania ulteriore gessisset, Hispaniam ei deferri non potuisse, legem Pompeiam Liciniam de provinciis Caesaris Idib. Novbr. esse latam, eodem tempore legem Treboniam, Dione teste (39,39.) lege lata legatos in provincias statim missos esse, et secundum usum Romanorum diem, qua consules provincias susciperent, non multo postea finitam esse, itaque colligi, quum Crassus mense Novbr. profectus sit, eodem fere tempore legem Treboniam esse perlatam. His argumentis demonstrare sibi videtur, legem Treboniam auctumno anni 55. esse latam, quo concesso efficitur, in epistola mense Apr. data ad eam non provocari. At primum non video, cur statuamus, Pompeium provinciarum poenituisse, quum in epistola illa et provinciam iactasse dicatur et de universo reipublicae statu sibi displicuisse; tum quod Metellus per aestatem anni 55. Hispaniam administravit, non consequitur, Pompeio non licuisse hoc tempore in Hispaniam proficisci, sed eum hoc facere noluisse, deinde legem Pompeiam Liciniam Idib. Novbr. latam non esse, infra demonstrabitur, denique Dio 39,36. leges Treboniam et Pompeiam Liciniam perlatas scribit, c. 39. Crassi discessum describit, quantum temporis interiectum sit, non indicans, atque diem, quo consul in provinciam proficiscitur, et quo lex de imperio eius perfertur, toto fere

[1]) Plut. Crass. 20. At Appiano qui II, 18 centena milia ei fuisse narrat, et Floro, qui I, 43 (III, 11) unum legionis numerus videtur auctus, cf. Drumann 4,100.

iam distineri posse exemplo legis Codiae evincitur. Hofmann de orig. bell. Caesar. p. 19 legem Trebonianam mense Novbr. latam censet propter altercationes hoc mense factas (Cic. ad Att. IV,13), has vero ad Crassi discessum pertinere supra vidimus. Praeterea, si Hofmannum sequimur, statuendum est, in senatu de lege Trebonia ferenda certatum esse. Fieri autem non potuit, ut uno eodemque tempore Cicero in Tusculano audiret, de lege ferenda in senatu deliberatum esse, et Crassum dilectibus habitis omnibusque apparatis ex hac lege profectum esse, praesertim quum lege Trebonia perlata cum Pompeio legem de provinciis Caesaris rogaret.

Nihil igitur obstat, quominus epistolam illam Ciceronis referamus ad legem Trebonium. Pompeius dicitur Hispaniam iactasse. Cicero, quum addat, «ut loquebatur», significat, sibi persuasum non esse, Pompeium revera Hispania delectari. Pompeium quum satis constet aliter sentire ac loqui consuevisse (Cic. ad fam. VIII, 1,3 ad Att. IV, 15,7. Drumann IV, 545), statui licet, hac provincia lactatum eum non esse. Verisimile est, eum maluisse, Syriam sibi obvenire, qua in provincia inde a bello Mithridatico multae eum multis ei erant necessitudines. Qua de causa — Caesare fortasse auctore — adductus sit, ut Hispanias, quamvis primus optaret, acciperet, discerni non licet.

Crassus quum in expeditione Parthica anno 53 a. Chr. interfectus esset[1]), C. Cassius Longinus proquaestore provinciam, donec an. 51. M. Calpurnius Bibulus proconsul advenisset, a Parthis defendit[2]).

Lex Pompeia Licinia de provinciis Caesaris.

Caesari lege Trebonia perlata lege consulari Pompeii et Crassi imperium in quinquennium prorogatum est[3]), quod, quum in Gallia certe citeriore lege Vatinia Cal. Martiis anni 54. finiretur, tam ad Cal. Mart. anni 49. videtur pertinuisse. Contra hanc opinionem disputans Zumpt stud. Rom. p. 81 sqq. demonstrare studuit, imperium Caesaris exiisse Idib. Novbr. anni 50. Argumenta protulit haec:

Appianus bell. civ. II, 28 scribit: *ἡ μὲν δὴ τέχνη τῶν γεγραμμένων* (cp. Pompeii an. 50 ad senatum missae) *εἶχεν εὐπρέπειάν τε τῷ Πομπηΐῳ, καὶ ὁρίσμα κατὰ τοῦ Καίσαρος· οὐκ ἀποδιδόντος τὴν ἀρχὴν οὐτ' ἐν τῷ νενομισμένῳ χρόνῳ.*» Nullo videtur significari indicio, quo die Caesar imperium deponere debuerit. Dio C. 49,59. «Pompeius an. 50,» dicit, «*ἐπράττετο ὅπως ὅταν τὸν δεδομένον οἱ χρό-*

---

[1]) Liv. ep. 106. Oros. VI, 13. Flor. I, 45. (III, 11). Eutrop. VI,18 (15). Vell. II, 46. Valer. Max. I. 6,11. Justin. 42,4. Dio C. 40,12 sq. Plut. Crass. 18 sq. Iosep'. ant. Iud. 14,7,3. bell. Iud. 1, 8, 8. S. Ruf. 17. Cic. de div. II, 9,22. cf. Cic. ad fam. V, 8. Appian. Syr. 51.

[2]) Cic. ad fam. VIII, 10,1 sq. II, 10,2. ad Att. VII, 8,1. 20,3. 21,2. VI, 6,14. Plut. XI. 14, 35. Dio C. 40, 28 sq. Vell. II, 46. Justin. 42,4. Liv. ep. 108. Eutrop. VI, 15 (18). Oros. VI, 13. S. Ruf. 17. Joseph. ant. Iud. 14,7,3. bell. Iud. 1,8,9. Frontin. strateg. II, 5,35.

[3]) Plut. Cat. min. 43. Pomp. 52. Appian. II, 18. Vell. II,46. Dio C. 39,33. Hirt. b. Gall. VIII, 53. Suet. Caes. 22. Cic. Phil. II. 10,24. ad Att. VIII, 3,3. VII. 6,2 cf. VII, 3. 4. 5, 5. Plutarchus (Pomp. 52) hanc legem iuniorem a Trebonia latam una cum lege de provinciis Crassi et Pompeii narrat, cum errasse hanc legem a consulibus (Pompeio et Crasso) potius latam exoptaret ex loco laudato Hirtii. Cf. Drumann III, 283. Hofmann de orig. bell. Caesar. p. 10.

καὶ διάδοχος (Caesar), τοῦτο δὲ οὐχ ἧς μοίρας ἀπ' εὐθὺς ἐν τῷ ὑστέρῳ ἔτει γενήσεσθαι μέλλει, τὸ τε ὕπατα καὶ ἡγεμὼν καὶ ἀποστεῖλαι οἱόσδε ἐπανέλθῃ.» Hoc loco indicatur, Caesari imperium fuisse deponendum an. 50 a. Chr., quominus vero Dioni fidem habeamus, probabemur, quod in tempore imperii Caesaris definiendo gravissimum in errorem incidit indicans (39,33) Caesari lege Pompeia Licinia imperium in triennium prorogatum esse, ex quo errore alter ille ortus videtur (cf. Hofmann l. l. p. 111. Zumpt, ut hunc Dionis errorem excuset, censet ab eo numeratos esse annos plenos, qui hac lege Caesaris imperio additi essent, id est anni 53. 52. 51., omissos esse annos 54. et 50. qui integri eius imperio adiecti non essent. Alia quoque sunt exempla, in quibus ab aliis scriptoribus plenos annos computari, ab aliis inceptos quoque, statuendum est, ut fontium discrepantiam tollamus. Ita Piso triennium in Macedonia fuisse dicitur (Cic. in Pis. 35,86. 40,97), quamquam consulatu anno 58 functus anno 57 in Macedoniam profectus est, anno 55, quo Q. Ancharius ei successit (Cic. l. l. 36,88 sq.), Romam rediit (Ascon. in Pison. p. 1 Or.). P. Servilio Isaurico consuli anni 79, quem triennium in Cilicia fuisse narrant Eutropius (VI, 3), Orosius (V, 23), a Cicerone (Verrin. act. II, 5, 90, 211) proconsulatus quinque annorum tribuitur, quamquam L. Octavium consulem an. 75. post eum hanc provinciam administrasse constat (Plut. Luc. 6). Haec exempla, in quibus ab aliis annus inceptus numeratur, ab aliis omittitur, quum nil nisi narretur, quantum temporis magistratus in provincia fuerint, non cadunt in quaestionem nostram, in qua quaeritur, quodnam tempus lege alicui praefinitum sit. Cicero alio loco (ad Att. XV, 11,4. Phil. VIII, 9,28) Antonio in quinquennium alio (Phil. V, 3,7) in sexennium provinciam traditam esse dicit, hanc difficultatem alio modo solvi, perspexit Mommsen (Rechtsfrage p. 43). In universum statuendum est, auctores, si in hac re dissentiant, ex altera utra parte errare.

Zumpt dicit, Pompeium anno 51. et id egisse, ut post Cal. Mart. decederet Caesar et ut Idib. Novbr., consequi igitur, hoc die imperium eius exiisse. Testimonia sunt haec: Cic. ad fam. VIII, 8,4 (ep. scripta mense Septbr. anni 51.): «saepe re dilata et graviter acta, et plane perspecta Pompeii voluntate in eam partem, ut eum (Caesarem) decedere post Cal. Mart. placeret, S. C. — factum est ibid.» § 9: «illa praeterea Cn. Pompeii sunt animadversa, — ut diceret, se ante Cal. Mart. non posse sine iniuria de provinciis Caesaris statuere, post Cal. Mart. se non dubitaturum.» Ibid. VIII, 11,3 (ep. scripta an. 50): «incubuisse cum senatu Pompeius videtur, ut Caesar Idib. Novbr. decedat, Curio omnia potius subire constituit, quam id pati. — Pompeius tamquam Caesarem non impugnet, sed quod illi aequum putet constituat, ait Curionem quaerere discordias, vade autem non volt et plane timet, Caesarem consulem designari, priusquam exercitum et provincias tradiderit.»

Unde colligatur, agi de Idib. Novbr. an. 50., non video. Priore loco binae videntur distinguendae Calendae Martiae, priores ante quas Pompeius de provinciis Caesaris statuere non potest, posteriores post quas eum decedere volt. Quodsi nobis conceditur, Pompeium id egisse, ut Caesar post Cal. Mart. anni 49. decederet, consequitur, optimates voluisse, Idib. Novbr. anni 49 a Caesare imperium deponi. Contra si Zumptium sequamur, omnia obscuriora fiunt, tum enim non videmus, cur Pompeius id agens, ut Caesar Idib. Novbr., quo die imperium exiret, de provincia decederet, dixerit, hoc se constituere, quod aequum putaret, non quod leges tueretur. Neque enim, quum nulla causa esset, cur Caesar, anno 49. consulatum petiturus, post Idus Novbr. ultimum imperii diem in provincia remaneret, Pompeius eum impugnabat neque aequitatis speciem sibi comparabat. Contra si de Idib. Novbr. anni 49. cogitamus, pulcherrima efficitur sententia, Pom-

petus enim, si imperium Caesari usque ad Id. Novbr. permittit, summa aequitate videtur uti, revera autem impedit, quominus anno 49. absens consul designetur. Pompeius id eo agere videtur, ut Caesarem beneficio populi, quo ei absenti consulatum petere licebat, spoliatum (Cic. ad fam. VIII, 11,3. 14,2.) anno demum 48. consulem fieri pateretur (Cic. ad Att. VII, 8,4. 9,3). Legi enim decem tribunorum, qua Caesari absenti consulatum petere licebat (cf. p. 30), lege Pompeia de iuribus magistratuum obrogatum esse dicebatur. Cf. Suet. Caes. 28: «M. Claudius Marcellus (consul an. 51) rettulit ad senatum, ut ei (Caesari) succederetur ante tempus, quoniam bello confecto pax esset ac dimitti deberet victor exercitus, et ne absentis ratio comitiis haberetur, quando nec plebiscito Pompeius postea obrogasset.» Hofmann l. l. p. 26 particulam «nec» omittit, Mommsen (röm. Staatsr. I² 496 n. 3) scribit «quando de ea re plebiscito Pompeius postea obrogasset.» Utcunque hic locus sanandus est, particulam negativam ferri non posse, apparet.

Si cogitamus de Idib. Novbr. anni 49. ea quoque solvitur difficultas, quam Zumpt p. 167. tangit. Dicit enim, si Cal. Mart. anni 49. Caesaris imperium exiisset, fieri non potuisse, ut mense Novbr. anni 50. Caesar ex Gallia revocaretur.

Idib. Novbr. anni 50. Caesaris imperium exiisse, Zumpt censet, quod eodem anni 55. die lex Licinia Pompeia perlata esset. Hoc fieri non potuisse Lange (röm. Staatsalterth. III, 331.) perspexit, Crassus enim hoc die ex urbe iam decesserat, quum Cicero die Idus insequente in Tusculanum adveniens de exitu eius certior fieret, postquam complures dies ex urbe afuit (Cic. ad Att. IV,13). Praeterea Zumpt p. 163. hunc laudat locum Ciceronis (ad Att. VII, 9,4. ep. scripta mense Decbr. an. 50.): «tenuisti (Caesar) provinciam per decem annos non tibi a senatu, sed a te ipso per vim et per factionem datos. Praeteriit tempus non legis sed libidinis tuae, fac tamen legis, ut succedatur decernitur, impedis et ais «habe meam rationem», habe nostrum. Exercitum tu habeas diutius quam populus iussit, invito senatu. «Depugnes oportet, nisi concedis.» Quod Cicero dicit «praeteriit tempus», Zumptio apparet ante mensem Decbr. anni 50. tempus Caesari permissum exiisse. Quum vero idem dixerit «ut succedatur decernitur», et «depugnes oportet», quod utrumque anno 49. factum est, idem «impedis et ais», quamquam sive ad futuras sive ad praeteritas senatus deliberationes respiciebat, temporibus futuris aut praesentibus utendum erat, statuendum est, verba Ciceronis pertinere non ad id tempus, quo epistola scripta, sed quo de Galliarum successione deliberatum ri putatum est (cf. Cic. ad Att. VII, 1,4. 6,2. 7,7). Praeterea sententia haec est: Caesar sui, postquam legis dies transiit, absentis et exercitum retinentis, rationem haberi volt, cf. l. l. VII, 7,6: «exercitum retinentis, quam legis dies transierit, rationem haberi placet». Quae quum ita sint, Zumptii argumenta refutata videntur. Caesaris imperium Cal. Mart. anni 49. exiisse his probatur argumentis:[1])

M. Marcello consuli anno 51. de Galliarum successione ad senatum referenti, restitit Pompeius, quod de hac re ante Cal. Mart., anni sc. 50., sine iniuria statui non liceret (Cic. ad fam. VIII, 8,4 et 9. ad Att. 8,3,3). Hanc iniuriam in eo positam fuisse putat Zumpt, quod ante Cal. Mart. quotannis de provinciis statui soleret. Pompeius vero non propter hanc consuetudinem Marcello restitit, sed quod lege Pompeia Licinia nondum de hac re statui licebat, cf. Hirt. b. Gall. VIII, 53: «Marcellus proximo anno (51), quum impugnaret Caesaris dignitatem contra legem

[1]) Argumenta a Mommseno (Rechtsfrage p. 38 sq.) prolata non repetam.

Pompeii et Crassi retulerat, ante tempus ad senatum de Caesaris provinciis.» Ex his locis Ciceronis verbis collatis efficitur, lege Licinia Pompeia sanctum fuisse, ne ante Cal. Mart. anni 50 de provinciis Caesaris statueretur. Hoc ita sanctum videtur, ut magistratus vetarentur ante annum unum, quam imperium Caesaris exiisset, de eius provinciis ad senatum referre. Si alio die imperium eius exiisset, admodum esset mirum, huiusmodi rogationibus Cal. Martias anni 49. praefinitas esse.

Tum secundum ea, quae Mommsen (Rechtsfrage p. 39.) Zumpt stud. Rom. p. 176 contra Hofmannum (orig. bell. civ. Caesar. p. 30.) protulerunt, videtur constare, Caesarem anno 49. consulatum absentem petere voluisse. Quomodo, si Idib. Novbr. anni 50. provinciam deponere debuit, speraverit, Galliis in annum 49. aliis datum non iri, non video. Zumpt l. l. p. 172. censet Caesari lege decem tribunorum permissum esse, et ut absens peteret, et ut provinciam retineret, quoad consul designatus esset. Auctores omnes[1]) tradunt, hac lege Caesari absenti consulatum petere permissum esse, hac lege simul imperium ei esse prorogatum, nemo testatur. Ut vero statuamus, hac lege Caesari licuisse, donec designatus esset, in provincia remanere, primum non videmus, quid hac re profecerit, quum consules designatos quoque accusari et condemnari liceret (cf. Suet. Caes. 30. Cic. ad fam. VII, 1,2), tum quo iuris titulo per annum 49. usque ad consulatum alterum in provincia remanere voluerit (cf. Suet. Caes. 26. et 30. Liv. ep. 108. Cic. ad Att. VII, 7,6. 9,4, cf. p. 42.), denique quomodo, quum anno 49. ante diem certum exercitum dimittere iussus esset (Caes. b. civ. I, 2. Dio C. 41,3), semenstre imperium sibi ereptum questus sit. Cf. Caes. b. civ. I, 8.: «doluisse se, quod populi R. beneficium sibi extorqueretur, ereptoque semenstri imperio in urbem retraheretur, cuius absentis rationem haberi proximis comitiis populus iussisset.» Ante quem diem Caesar exercitum dimittere iussus sit, nescimus, sed quod temporis spatio quodam opus erat ad milites, qui magna ex parte in Gallia ulteriore hiemabant (Caes. b. Gall. VIII, 54.), dimittendos, conicere licet, diem mensis Febr. vel Martii fuisse. Ex opinione Zumptii Caesari ademptum est imperium temporis inter hunc diem et comitia consularia interiecti, quod, quum comitia Iulio mense haberi solerent semenstre non fuit. Ex nostra opinione apparet, diem ita electum esse, ut Caesar imperio semenstri spoliatus praesens peteret. Ante Cal. igitur Iulias ante sex menses quam imperium se depositurum speraverat, milites dimittere iussus videtur (cf. Lange III, 398.). Itaque apparet, «beneficium populi ademtum» et «semenstre imperium ereptum» arcte inter se cohaerere, quamvis Zumpt neget.

Caesar si Idib. Novbr. imperium deponere debuit, quomodo per annum 49. provinciam sibi retinendam esse putaverit, non intelligitur, si Cal. Mart., omnia sunt plana, quum ut magistratibus anni 55. ita anni 50. non licuerit hunc in modum insequente anno suscipere provinciam, ut per duos menses sine provincia et sine magistratu essent.

Neque enim opponere licet, Cal. Mart. an. 50., ante quas ne de Galliis statueretur lege Pompeia Licinia interdictum erat, consulibus lege Sempronia provincias fuisse decretas, nullos igitur magistratus fuisse, quibus Gallia traderetur, nisi consules anno 49. futuros, a quibus quin Galliae anno demum 48. suscipi potuerint, dubium non esse. At senatui licuit, Gallias post Cal. Mart. anni 50 praetoribus decernere, qui quin anno 49. eas susceperi fuerint, dubium non est, atque fieri potuit, ut consulibus anni 50. hoc ipso demum anno provinciae decernerentur. Eodem modo consulibus

[1]) Cic. ad fam. VI, 6,5. ad Att. VII, 1 4. 3,4. VIII, 3,3. Phil. II, 10,24. Suet. Caes. 26. Caes. bell. civ. I 32. Dio C. 40,51. Appian. bell. civ. II. 26. Flor. II, 13. (IV, 2). Liv. ep. 107.

anni 60. provinciae decretae sunt mense Martio eiusdem anni (Cic. ad Att. I, 19,2.), M. Pupio Pisoni consuli an. 61. mense Maio provincia nondum obvenerat (l. l. I, 16,8.).

Tum Cicero testatur, Caesari imperium esse prorogatum (p. 30) non novum datum, ex Zumptii sententia duo diversa erant ei imperia delata.

Denique M. Marcellus cos. an. 51. ante legitimum tempus contra legem Pompeiam Liciniam (Hirt. b. Gall. VIII, 53.) ad senatum rettulit, ut Caesari Cal. Mart. succederetur (Cic. ad Att. VIII, 3,3.). Quaeritur utrum anni 50. an 49. Cal. Mart. intelligantur. Hirtius his verbis: «M. Marcellus proximo anno, quum impugnaret Caesaris dignitatem, contra legem Pompeii et Crassi rettulerat ante tempus ad senatum de Caesaris provinciis» nihil notat, nisi ante tempus hoc factum esse. Si Marcellus simul id egisset, ut Caesari ante tempus provincia adimeretur, perquam mirum esset, hanc iniuriam maiorem ab eo silentio praeteriri, minorem illam notari. Consequitur igitur Cal. Mart. anni 49 exiisse Caesaris imperium, Cal. enim. Mart. anni 50. non exiit, quum ante hunc diem de successione provinciarum eius statui non liceret (p. 29.). Praeterea ex relatione Marcelli senatusconsultum factum est, ut consules inde ab Cal. Mart. anni 50. de provinciis consularibus — id est de Galliarum successione — ad senatum referrent (Cic. ad fam. VIII, 8,5.), et Marcellus cum senatu egit perspecta voluntate Pompeii in eam partem, ut Caesarem post Cal. Mart. anni, ut videtur 49. (cf. p. 28), decedere placeret, his ex rebus idem apparet, Marcellum censuisse, Caesari Cal. Mart. anni 49 succedendum esse. Denique Marcellus, si voluit, provincias consulares, de quibus referebat, Cal. Mart. an. 50. iniri, haud scio an, quum de Galliis statui nondum liceret, alias fecerit consulares. Quae quum ita sint, efficitur, Caesaris imperium lege Pompeia Licinia ad Cal. Martias anni 49. prorogatum esse. In ulteriore quoque provincia, quod hoc die in utramque provinciam successorem mittere volebant, imperium ad Cal. Mart. huius anni videtur pertinuisse.

Restant nonnulla veterum testimonia, quae opinioni nostrae repugnare fortasse videantur. Cassius Dio (40,59.) scribit: „Μάρκελλος (consul. an. 51.) δὲ πάντ' εὐθὺς ἐπὶ τῇ τοῦ Καίσαρος διαλύσει — ἔπραττε, καὶ ἄλλα τε ἐπ' αὐτῷ πολλὰ, καὶ ὥστε καὶ διάδοχόν οἱ ἤδη καὶ πρὸ τοῦ καθήκοντος χρόνου πεμφθῆναι, ἐσηγήσατο.» Sueton. (Caes. 28.) narrat, Marcellum ad senatum rettulisse, «ut ei (Caesari) succederetur ante tempus, quoniam bello confecto pax esset, ac dimitti deberet victor exercitus.» Apud Appianum legitur (b. civ. II, 26.): «Μάρκελλος ἐσηγεῖτο δὲ ἤδη καὶ διαδόχους αὐτῷ πέμπειν ἐπὶ τὰ ἔθνη προφασιζῶν τὸν χρόνον.» Inter hos auctores constat, Marcellum id egisse, ut Caesar revocaretur, antequam imperii tempus exiisset, Cassius Dio addit ἤδη, id est anno 51., Caesari succedendum esse, Marcellum censuisse. Quum vero ipse, sive auctor, quem sequitur, sibi persuasum haberet, Caesaris imperium an. 50. exiisse (cf. p. 28.), fieri non poterat, quin Marcellum, quum Caesari ante tempus succedendum censuisse diceretur, anno 51. Caesaris imperium finisse putaret. Quod Hirtius ignorat, Marcellum imperii tempus Caesari adimere voluisse, satis apparet, his auctoribus fidem habendam non esse. Error duplici ratione ortus esse potest. Aut enim, quae auctores vetustiores tradiderant, Marcellum ante tempus ad senatum rettulisse, posteriores ita acceperunt, ut putarent, Marcellum censuisse, Caesari ante tempus succedendum esse, aut, id quod mihi verisimilius videtur, in auctoribus laudatis invenimus ea, quae scriptores Caesariani narraverant, Marcellum Caesari eripere voluisse tempus a Cal. Mart. ac Cal. Ian., quod iure ad eum pertinuisset. Plutarchus narrat (Caes. 29. cf. Appian. 2,25.), Caesarem postulasse, ut absenti sibi consulatum alterum petere liceret, et imperium prorogaretur, sive (Pomp. 56.) familiares eius postulasse, ut ei

qui provinciae prorogarentur aut consulatus obtingeret. Illud recte se habet, si imperii tempus prorogatum intervallum inter Cal. Mart. et Cal. Ian. intermissum intelligitur, hoc refelli fortasse ad duas condiciones Caesari anno 51. propositas, ut aut per annum 49. in provincia maneret, aut exercitu dimisso consul fieret (Cic. ad fam. VIII, 8,9). Hofmann (orig. belli civ. Caesar. p. 41) et Lange (röm. Staatsaltert. III, 374.) Marcellum id egisse censent, et ne Caesaris absentis ratio haberetur, et ut ei succederetur. Hofmanni opinio, Caesari statim succedi voluisse Marcellum, si recte hucusque disputavi, iam refuta a est. Illud narratur a Livio (ep. 108.) et Suetonio (l. l.). Ex epistolis autem Caelii et Ciceronis apparet, Marcellum rettulisse, ut Galliae Cal. Mart. an. 49. a viris consularibus susciperentur, qua sententia auctore Pompeio reiecta senatusconsultum factum esse ex sententia Scipionis, ut inde a Cal. Mart. an. 50. de provinciis consularibus ad senatum referretur (Cic. ad Att. VIII, 3,3. ad fam. VIII, 8,4. 5. 9,5. Hirt. b. Gall. VIII, 53). Marcellus id nimirum egit, ne Caesar anno 49. absens peteret, neve exercitum et provinciam usque ad consulatum alterum retineret, Livii epitomator igitur et Suetonius rem recte describunt, nisi quod brevitatis studio adducti, non satis distinguunt, quid Marcellus voluerit et quomodo efficere conatus sit.

Provinciae praetoriae.

Quos hoc anno praetura functos esse scimus P. Vatinium et T. Annium Milonem (Wehrmann fast. praet. p. 67.) ab eis, quum anno insequente in urbe remanerent, provinciae administratae non sunt (Cic. ad Q. fr. II, 15 (16), 3. ad fam. I, 9,19. Ascon. in Scaur. p. 29. Or.).

Provinciae consulares an. 54 a. Chr.

Cilicia obtigit Appio Claudio [1]), qui, quum mense Octbr. neque S. C. de provincia ornanda factum esset, neque lex curiata de imperio lata (Cic. ad Att. IV, 18,4 (16.12) ad Q. fr. III, 2,3 ad fam. I, 9,25.), etiam sine lege curiata in provinciam proficisci voluit (cf. Mommsen röm. Staatsr. I², 588.). Attamen lata videtur, quum Appius ex Cilicia regressus triumphum postularet (Cic. ad. fam. VIII, 6,1. III, 9,2. 10,1.), qui, nisi lex curiata rogata erat, denegabatur (Cic. ad Att l. l.) Itaque S. C. quoque de provincia ornanda factum esse statuerim [2]). Appio an. 51. successit M. Cicero (p. 36.). L. Domitius Ahenobarbus, quum anno 49. provinciam sortiretur (p. 50), ex consulatu in provinciam profectus non est.

Provinciae praetoriae.

M. Porcius Cato Plutarcho teste (Cat. min. 45.) nullam obtinuit ex praetura provinciam,

[1]) Cic. ad Att. IV, 18,4 (16,12.). V, 14,1. 15,2. 15,3. 17,6. VI, 1,2 sq. ad fam. I, 9,25. III, 2—10. ad Q. fr. II, 2,3. Cistophoros eius vide C. I. L. I, 143. no. 526.

[2]) cf. Marquardt röm. Staatsverw. I, 385. Aliter censet Lange röm. Staat-altert. III, 350.

hoc testimonium confirmat, quod anno 49 Ciliciam obtinuit (p. 28). P. Servilius Vatia et Servius Sulpicius Galba Caesaris in praetura collegae (Wehrmann l. l. p. 6.) num provincias ex praetura obtinuerint, nescimus. Sulpicius praetura functus locum legati pro Caesarem, quem antea obtinuerat, fortasse recepit (cf. Caes. b. Gall. III, 1—5 VIII, 50.). Praetori huius anni Asia videtur obvenisse (cf. p. 24.).

Hoc fere tempore praetura functi videntur L. Culleolus et P. Attius Varus.

Illum novimus ex duabus Ciceronis epistolis (ad fam. XIII, 41—42.), quarum altera inscripta est L. Culleolo pro cos., id est praetori proconsule, cf. de hac denominatione Mommsen C. I. L. I. p. 187, Gruber de tempore atque serie epp. Ciceronis p. 6. has epistolas anno 60 adscribit, quod scriptae sint antequam bella civilia exorta essent, quum Pompeii fiat mentio, et antequam Caesar Gallias et Illyricum obtinuisset, quum Culleolus Bullionibus genti Illyricae praeesse dicatur (42,1.). Gruberum secuti sunt Orelli (onom. Tull. II, 203) et Baiter (Cic. opp. XI. p. 259.). Zumpt com. epigr. II, 184. quum perspexerit, Illyricum usque ad annum 59 cum Macedonia coniunctum fuisse, Macedoniae Culleolum praefuisse censet annis 70 et 69. Epistolas enim laudatas anno 71, quo Pompeius ex Hispania regressus sit, posteriores, anno 58., quo Caesar Gallias et Illyricum obtinuerit, superiores esse, neque adscribendas esse annis 67—61, per quos Pompeius piratas et Mithridatem bello persequens ex urbe afuerit (Drumann IV, 407 sqq.). M. Lucullus consul anni 73 per annos 72—70. Macedoniae praefuit, per annos 68—65 vel 64 Q. Caecilius Metellus, per annos 64—63. L. Manlius Torquatus, C. Antonius consul an. 63 per annos 62—60, C. Octavius per annos 60—59, L. Appuleius per annum 58, L. Piso per annos 57—55, Q. Ancharius anno 55. (Testimonia veterum vide ap. Zumpt comm. epigr. II, 181 sqq.) Itaque apparere videtur annos 70. et 69. Culleolo vacuos esse. Attamen quum Bulliones vicini fuerint Apolloniae[1]), et Macedonia provincia Drilone flumine terminata fuerit (Plin. n. h. III, 141. Ptolem. III, 13. Marquardt I, 143.), atque Bulliones L. Pisoni, qui anno 57. in Macedoniam advenit, subiecti fuerint (Cic. in Pis. 40,96), nihil est cur, antequam Caesar Gallias et Illyricum suscepisset, eum Macedoniae praefuisse statuamus. admodum enim est dubium, num, id quod Zumpt censet, idem sit ac Rubrius, quem anno 67. Macedoniam administrasse Plutarchus narrat (Cat. min. 9). Hunc annum recte se non habere, et Rubrium, quum per annos 68—65 Metellus Macedoniae praefuerit, alio tempore hanc provinciam administrasse, docuit Zumpt. Praeterea agnomen Culleoli numquam, quod sciam, in gente Rubria invenitur (cf. Haakh in encyclop. Paulyana VI, 1, 557.). Epistolas Ciceronis laudatas posteriori, quam Zumpt statuit, tempori adscribendas esse, his de causis statuerim: Primum ex epistolis Ciceronis ad familiares nulla ante annum 62. a. Chr. data est (Gruber l. l. p. 2), tum Cicero venit in familiaritatem Pompeii, qui, quo tempore epp. laudatas dedit, fructus esse videtur an. 61 a. Chr. (Cic. ad Att. I, 13,4. 16,1. 17,10. Drumann IV, 482), neque huiusmodi necessitudo inter Ciceronem et Pompeium primo eius consulatu videtur intercessisse, quum pro lege Gabinia verba non faceret (Drumann V, 50.). Jure nostro contendi licet, has epistolas anno 62 posteriores esse, itaque, quum continuam praesidum seriem usque ad annum 54 noverimus, sta-

[1]) Appian. b. c. I, 119 sq. Plut. Caes. 11 sq. Pomp. 21 sq.

[2]) Strabo VII, p. 310 et 326. C. I. L. II. p. 116. Cic. Phil. XI, 11,26. Caes. b. c. 3,12. Plin. n. h. 3,145. Liv. 44,30. Ptolem. 3,13.

Macedoniam Culleolum ante hunc annum Macedoniam non adtigisse. Post hunc annum, bis scimus Macedoniam praetoriis obvenisse, anno 51. et 49. neque hoc anno Culleolus Macedoniam obtinuit, quum epistolae ante bella civilia scriptae sint, neque illo, quum Romae datae sint per annum vero 51. Cicero partim in itinere partim in provincia fuerit. Per annos 53. et 52. nemo eo, nisi qui anno 54. magistratu functus esset, in provinciam missum esse, infra docebitur, itaque consequitur, Culleolum anno 54. vel 53., in Macedoniam advenisse. Fortasse conici licet, anno 53. eum in hanc provinciam profectum esse. Consulibus anni 54. provincias ex lege Sempronia decretas fuisse, apparet ex foedere illo cum C. Memmio et Cn. Domitio consulatus petitoribus icto (Cic. ad Att. IV, 15,7. 17 (18), 2. ad Q. fr. III, 1,16.) Appius Claudius alter consul Ciliciam obtinuit (p. 32), alter Domitius in provinciam non exiit. Fi, quum Gallias Caesar, Hispanias Pompeius, Syriam Crassus obtineret, Macedonia videtur fuisse decreta. Hanc provinciam, quum non susciperet, ad praetorem translatam esse, eumque esse L. Culleolum, verisimile est, quemquam res fortasse ita gesta est, ut Macedoniae praesidi imperium prorogaretur.

De P. Attio Varo Africae propraetore, haec exstant testimonia: Caes. b. civ. I, 31: «Tubero cum in Africam venisset (an. 49. ineunte), invenit in ea provincia cum imperio Attium Varum, qui ad Auximum — — amissis cohortibus protinus ex fuga in Africam pervenerat, atque eam sua sponte vacuam occupaverat, delectuque habito duas legiones effecerat, hominum et locorum notitia et usu eius provinciae nactus aditus ad ea conanda, quod paucis ante annis ex praetura eam provinciam obtinuerat.» Cic. pro Ligario 1,3: «interim P. Attius Varus, qui praetor Africam obtinuerat, Uticam venit (an. 49. in.) sqq.» schol. Gronov. in Ligar. p. 414 Or.: «quodam tempore Varus in Africa praetor fuerat.» Varus in Africa fuit ante C. Considium, qui anno 51. hanc provinciam obtinuit (p. 37). post Valerium Orcam, qui anno 56. (p. 21.), quum paucis ante annis quam bellum civile exarsit, Africae praefuisse dicatur. Anno 53. senatui placuit, ne quis ex praetura et consulatu, antequam quinquennium exiisset, in provinciam exiret, itaque post hunc annum Varus Africam, quam ex praetura obtinuit, sortitus non est. Anni igitur 56., 55., 54. restant eius praeturae. Ex locis supra allatis concluserim, Varo successisse Considium, atque ab eo, quocumque anno in provinciam advenit, Africam, quum non succederetur, gubernatam esse ad annum 51

Quae per annos 53–51 a. Chr. in provinciis administrandis mutata sint, exponitur.

Cn. Domitius Calvinus M. Valerius Messala coss. an. 53. S. C., quod perficere anni superioris consules frustra conati erant (Cic. ad Att. IV, 16,5.), fecerunt, ne quis ex consulatu aut praetura in provinciam exiret, antequam quinquennium exiisset. Dio C. 40,46: «*ὅτι τε ἐποιήσαντο μηδένα μήτε στρατηγήσαντα μηδ' ὑπατεύσαντα τὰς ἔξω ἡγεμονίας, πρὶν ἂν πέντε ἔτη ἐν τῷ ἄστει λειφθείη.*» Quod postquam senatui placuit, ut huius anni magistratus in provincias mitti poterant, aut vetustiores, qui ex praetura aut consulatu in provincias non exierant. Neutrum vero evenit, Domitius Calvinus postero anno in urbe remansit (Ascon. in Milon. p. 54. Or.), neque Valerius Messala in

provinciam videtur exisse, quum mense Iunio anni 51. ambitus accusaretur (Cic. ad fam. VIII, 2,1. 4,1. ad Att. V, 9,1. Brut. 96,328. Valer. Max. V, 9,2.), quae tempore, si provinciam administrasset, Romam nondum regressus esset, praesertim quum conscius sibi esset, fore ut accusaretur. Velut Appius Claudius ex provincia mense Augusto nondum decesserat. (Cic. ad Att. V, 14,1. 15,2. 15,4. 17,6. ad fam. III, 5,1. et 4. 6,2. et 6. 7,4.) neque, antequam annus 51. praeterisset ad urbem accessit (Cic. ad fam. VIII, 6,1.). Consules, quum provincias non obtinerent, senatusconsultum de provinciis praetoriis non fecisse, consentaneum est, atque L. Aemilius Paulus, quem unum novimus huius anni praetorem (Cic. pro Milone 9,24. Wehrmann fast. pract. p. 68.), Romae videtur remansisse, quum basilicam, quam praetor aedificabat (Cic. ad Att. IV, 16,8 (14).), consul nondum perfecisset (Plut. Caes. 29. Appian. II, 26.). Neque annorum priorum magistratus in provincias missi sunt. Si enim is rerum ordo iam inductus esset, ne quis ex praetura aut consulatu in provinciam exiret, fieri non poterat quin omnibus, quibus ex vetere more provinciae obvenerant, nullo excepto succederetur, etenim hunc in modum anno 51. res gesta est. Anno vero 53. non omnes in provincias successores missos esse, inde apparet, quod Appio, qui ex consulatu Ciliciam obtinebat (p. 32.), et Attio, qui ex praetura Africam (p. 34.) anno 51. successum est (p. 36 sq.). Neque in Syriam, quam Crasso die nono mensis Iunii interfecto (Ovid. fast. 6,465 p. 27) Cassius proquaestore susceperat (p. 27.), quisquam ante annum 51 missus est.

Pompeius consul sine collega hoc senatusconsultum confirmavit. Dio C. 40,56: *κἀξ ἐκείνου τὸ μὲν χρόνῳ ἐμπροσθεν γενόμενον, ὥστε τοὺς ἄρξαντας ἐν τῇ πόλει μὴ πρόσθεν ἐς τὰς ἔξω ἡγεμονίας, πρὶν πέντε ἔτη διελθεῖν, κληροῦσθαι, ἐπεψηφίσατο.* De hac re viri docti magnopere inter se dissentiunt: Zumpt comm. epigr. II, 204. Pompeium censet lege hoc fecisse atque id eadem, quam de iuribus magistratuum tulerat (Sueton. Caes. 28.), cuius unum caput, quod erat de petitione absentium, notum est (Dio, Sueton. l. l. Cic. ad Att. VIII, 3,3.). Hofmann (orig. belli civ. Caesar. p. 24.) Lange (röm. Staatsalterth. III, 367. Marquardt (röm. Staatsverw. I, 382.) a Pompeio de provinciis singularem legem esse latam statuunt, quam sententiam quum Mommsen (Rechtsfrage p. 44. röm. Staatsr. I, 526.[1]) comprobaverit, nunc, Drumannum (III, 363.) secutus, Pompeium senatusconsultum fecisse existimat (l. l. II, 1, 2 p. 21.).

Constat Pompeium tulisse legem de iuribus magistratuum, (Suet. l. l.), in se iura magistratuum mutari» queritur Caesar (b. civ. I, 85) «ne ex praetura et consulatu, ut semper, sed per paucos probati et electi in provincias mittantur.» Admodum igitur est verisimile lege de iuribus magistratuum lata sanctum esse, ne quis ex consulatu et praetura in provinciam exiret. In verbis Dionis neque quidquam est, quo duas latas esse leges evincatur, neque quo a Pompeio iterum senatusconsultum esse factum. Verba enim *«τό τε θέσμιον τὸ μικρὸν ἔμπροσθεν γενόμενοι - - ἐπεψήφισε»*, cum necessario ad senatusconsultum referamus nihil est, quum lege Pompeia S. C. illud anni 53. sanctum sit et confirmatum. Hunc verbi *μικροῦ* notionem non abhorrere a consuetudine Dionis, his demonstretur exemplis: 36,39 (22): *προσέχρασε τῷ νόμῳ τὴν βουλὴν προβουλεύειν - - καὶ τὸν δῆμον ἐπικυρεῖν τὸ προβούλευμα.* 37,49: *ἦλθε* (Pompeius) *μὲν γὰρ ἔλλιπὲς - - καὶ τὰ γεγραμμένα ὑπ' αὐτοῦ ἐπικυρωθῆναι.* 48,12: *τὰς συνθήκας ἃς ὅτε Ἀντώνιος καὶ ὁ Καῖσαρ ἐπεποιήντο - - ἐπεψηφίσατο.* 52,9: *ἥ τε βουλὴ προεβούλευσε καὶ ὁ δῆμος ἐπεψήφισε.* 57,12: *ἀγχιστεῖαν γὰρ ἐπὶ τούτοις (Tiberius) οὔτε*

[1] In editione altera huius libri (I, p. 622.) Mommsen hanc rem in incerto relinquit.

[illegible] sqq.). Praeterea neque intelligitur, cur Pompeius, si lege hoc non opus erat, id quod Mommsen concedit, iterum, vel potius tertium rem senatusconsulto transigere conatus sit, neque cur novo senatusconsulto opus fuerit ad prius illud confirmandum, nisi forte illi intercessum erat, id quod factum non esse, colligitur ex silentio Dionis. Ne hoc quidem anno ex nova more provinciae decretae sunt, quum Appio, Attio Cassio, quibus ex veteri more provinciae obvenerant, anno demum 51. succederetur. M. Claudius Marcellus consul anno 51 legem aut senatusque consultum fecit, e quibus Asiam sibi provinciam obvenisse Cicero dicit, cf. Cic. ad fam. XV, 9,2: «unum vero si addis (M. Marcellus) ad praeclarissimas res consulatus tui, ut aut mihi succedat, quam primum liquis, aut, ne quid acceda temporis ad id, quod tu mihi legi et senatusconsulto finisti, omnia me per te consecutum putabo.» ibid. XV, 14,5. «(provinciam) quam et senatus et populus annuam esse voluit.» Cf. Cic. ad fam. II, 7,4. 15,4. ad Att. VI, 6,3. Hanc non esse legem curiatam de imperio, id quod Drumann II, 493. Hofmann l. l. p. 142. statuunt, consequitur ex natura legis curiatae, qua nullum cuiquam dabatur ius, nisi quod ante ea obtinebat (Mommsen röm. Staatsr. I, 590,). Zumpt comm. epigr. I, 210. privilegium Ciceroni datum esse censet[1]). Hanc quaestionem ut diiudicemus, quae nota sunt de praesidibus provinciarum anni 51. colligenda sunt.

M. Tullius Cicero pro consule Ciliciam provinciam annuam obtinuit Appio Claudio successurus[2]). In provinciam advenit pr. Cal. Sextil. an. 51., decessit a. d. III. Cal. Sext. an. 50. (Cic. ad Att. V, 14,1. 15,1. 21,9. VI, 2,6. 3,6. 3,1 ad fam. II, 17,1. III, 12,4.), postquam eam C. Caelio Caldo quaestori tradidit (Cic. ad Att. VI, 6,3. ad fam. II, 15,4. 19,1.).

M. Calpurnius Bibulus Cassio successurus Syriam obtinuit[3]). Quam provinciam quum mense Octobri an. 51. suscepisset (Cic. ad Att. V, 16,4. 18,1. 20,3. sq. fam. II, 10,2. XV, 1, 3,2. 4,7 sq.) eodem fere mense an. 50. — Cicero mense Decbr. in Italia de hac re certior factus est. Romam regressurus tradidit (Fabricio?[4]) Vecilio (Cic. ad Att. VII, 3,5.) legato, ut videtur, Cn. enim Sallustio eius proquaestori successerat L. Marius (Cic. ad fam. II, 17,5). Bibulo certum quoddam tempus praefinitum fuisse, apparet ex his Ciceronis verbis (ad Att. V, 16,4.): «Bibulus ne cogitabat quidem etiam nunc in provinciam suam accedere, id autem facere ob eam causam dicebant, quod tardius vellet decedere.»

Q. Minucius Thermus propraetor antequam Cicero in provinciam ultimo mensis Julii die advenisset, Asiam provinciam suscepit (Cic. ad Att. V, 13,2 ad fam. XIII, 55,1 cf. ad fam. XIII, 53—54 et 56—57.). Ei de provincia mense Maio an. 50. decessuro Cicero successit (ad fam. II, 18), ut eam quaestori traderet. Quod consilium Thermus secutus est. Paullo ante anno 49. ineunte in Asia invenitur L. Antonius ἀντιταμίας καὶ ἀντιστράτηγος (Ioseph. ant. Iud. XIV, 10, 2. et 17).

P. Sulpicius Nerva annis 51. et 50. Bithyniae propraetore praefuit, cf. epp. Ciceronis ad fam. XIII, 61—62. 64—66. scriptas an. 51. ep. 63. scriptam anno 50. (Gruber de serie et tempore epp.

[1]) Ex sententia Preuss de Cilicia Rom. 1867. p. 22. Contra dixit Casp. Hennig de Ciceronis proconsulatu Ciliciensi p. 21.

[2]) Cic. ad fam. II, 10,3. 13,3. III, 2,5. XIII, 67,1. V, 1—4. ad Att. V, 15. 18, 20—21. VI, 1—4. 7. Plut. Cic. 36., cuius prothonotarios eius nomine signatos Lapidarae et Arameae apud eos vide C. I. L. I, 143. 200. 577.

[3]) Val. Max. 4, 1,15. Dio C. 40,30 sq. 40,66. Appian. Syr. 51. Caes. b. civ. II, 31. Cic. ad fam. VIII, 6,4. 17. XII, 19,2. III, 3,1. ad Att. V, 4,2. 21,2. VI, 1,13 sq. 5,3. 8,5. VII, 2,6.

[4]) De nomine gentili cf. Orellium Onom. Tull. II, 586. Haakium in encyclop. Pauly's I, 2425.

Cic. p. 43.). Cic. ad Att. VI, 1, 13. Anno 50. exeunte Romae fuit cf. Cic. ad Att. VII 1,8: «redeo ad Hirrum, coepera cum mihi placare, perfice, habes Scrofam, habes Silium, ad eos ego etiam antea scripsi, scripsi et ipsum Hirrum, locutus enim erat cum his commode.»

(Tremellium) Scrofam et M. Nonium an. 50. ineunte provincias, ubi usque praefuisse apparet ex ep. Cic. ad Att. VI, 1,13: «Tiernum, Silium vere audis laudari, valde honeste eos gerunt; adde M. Nonium Bibulum me, si voles. Iam Scrofa vellem haberet, ubi posset, est enim lautum negotium.» Quum omnes hoc loco laudati provinciis praefuerint, Scrofa et M. Nonius eodem munere functi videntur. Zumptii (l. l. II,207.) coniectura, Macedoniae Scrofam praefuisse, nullo confirmatur testimonio. Anno 50. exeunte Romam revertebat (cf. supra). M. Nonius quando de provincia decesserit, nescimus. C. Considius Longus ex Africa an. 50. exeunte decedens provinciam, in qua P. Attio Varo videtur successisse (cf. p. 34.), Q. Ligario legato tradidit (Cic. pro Ligario 1,2 sq. schol. Gronov. in Liga. 414 Or.). T. Furfanius Postumus qui Siciliam, quam provinciam ante annum 52., quo iudex erat in causa Miloniana (Cic. pro Milone 27,75.), suscipere non potuit, an. 49 certum obtinebat (Cic. ad Att. VII, 15, 1.), potius videtur fuisse legatus sive quaestor pro praetore. Omnium enim provinciarum praesides praeter Pompeium et Caesarem an. 50. exeunte in Italiam regressi sunt, provinciis ad legatos vel quaestores translatis, ita ut idem in Siciliam cadere verisimile sit.

Macedoniae denique, quum successum non esset, an. 49. ineunte T. Antistius quaestor praeerat.

Macedoniae, Sardiniae, Cretae, Cyrenis, Siciliae anno 51. propraetores praefuisse, apparet ex auctoritate senatus, quae est in epistola Caelii (Cic. ad fam. VIII, 8,8).

Apparet consularibus duobus annuas provincias decretas esse, eadem vero in conditione praetorii videntur fuisse. Cicero Attico scribit (VII, 3,1): «scito verbum in senatu factum esse nunquam de ullo nostrum, qui provincias obtinuimus, quo in eis diutius, quam ex senatusconsulto (id est per annum cf. p. 36.) maneremus.» Idem dicit (l. l. VII, 7,5) «senatum bonum putas, per quem sine imperio provinciae sunt» (cp. scripta mens. Decbr. an. 50.). Vetere ex more sanctum erat, ne quis antequam successor advenisset, de provincia decederet. Si igitur, id quod ann. 50. factum est, provinciae casu quodam non decernebantur, praesidibus manendum erat, anno vero 50. Ciliciae, Syriae, Africae, Macedoniae, Bithyniae, Asiae praesides, provinciis ad legatos vel quaestores translatis decesserunt. Apparet igitur, praesertim quum compluribus annum imperium fuisse sciamus, hoc tempore sanctum esse, ut provinciae per annum obtinerentur. Praetorias provincias anno 51. fuisse annuas, inde quoque apparet, quod in omnes successores anno 50. mittere volebant, neque cuiquam imperium prorogabant (Cic. ad fam. VIII, 8,8.). Quo concesso consequitur, praesides, quos supra enumeravi, anno 51. ineunte in provincias esse profectos.

Praesides hoc anno missi ex eorum numero erant, qui antea provincias non administraverant (Cic. ad Att. VI, 6,3 ad fam. II, 15,4), quum hoc anno omnes in provincias — exceptis sc. Galliis et Hispaniis, quae provinciae Caesari et Pompeio ex legibus Pompeia Licinia et Trebonia etiam tum obediebant — praesides mitterentur atque in Africa Syria Cilicia succederetur praesidibus vetere ex more missis, consequitur, hoc demum anno ex novo more provincias esse decretas.

Ex locis p. 36. laudatis apparet de annuo tempore Marcellum et lege et senatusconsulto statuisse. Quum Cicero locis nonnullis (ad Att. VI, 6,3. fam. I, 15,4. III, 2,2. de solo senatusconsulto faciat verba, apparet, in utroque decreto eadem fere scripta fuisse. Eodem modo dicit

Cicero (ad Att. VI, 1,1. 3,3. 6,3. ad fam. II, 17,4.) sibi de provincia decessorem relinquendum esse ex senatusconsulto, qui praesit, quamquam ipse non potest, quin ei lege Claudia, quum annuum faceret praesidis imperium, de hac re statutum sit. Itaque colligitur, quae senatus statuit, ut ei in provincias iret, qui antea non praefuissent (Cic. ad Att. VI, 6,3 ad fam. I, 15,4.), eadem sancta esse lege Claudia. Fortasse haec ratio inter legem et senatusconsultum intercessit, ut lex ex auctoritate senatus fieretur. Postquam constitutum est, ne quis priusquam quinquennium exisset ex praetura vel consulatu provinciam obtineret, quinque annos praeterire opus erat, donec ex novo more quotannis ad numerum essent, qui in provincias exirent. Ad hoc quinquennii intervallum pertinuisse legem Claudiam Marcelli, inde apparet, quod hac lege provinciae factae sunt annuae. His enim quinque annis exactis quotannis duo consulares octo practorii erant, qui in provincias exirent, per quos quattuordecim provinciae, si annuae erant, administrari non poterant. In perpetuum provincias annuas factas non esse, ex his quoque Ciceronis verbis apparet (Phil. I, 9,19.): «quae lex melior, utilior, optima etiam reipublica saepius flagitata, quam ne praetoriae provinciae plus quam annum neve plus quam biennium consulares obtinerentur.» Ante hanc igitur Caesaris legem nihil statutum erat de tempore imperii provincialis. Legis Claudiae decretum, quod non nisi in certum tempus valebat, omitti potuit.

Praeterea lege Claudia sanctum est, ut provincias qui antea non praefuissent, obtinerent, id quod cadit in intervalli tempus. Haec igitur ratio inter legem Pompeiam et Claudiam videtur intercessisse, ut illa sanciretur, ne quis ex magistratu, priusquam quinquennium exiisset in provinciam proficisceretur, hac constitueretur, quomodo per proximum quinquennium provinciae ordinarentur. Si a Pompeio lex de provinciis seorsim lata erat, non intelligitur, cur non de hac quoque re constituerit, si vero lex illa latius patebat pertinebatque ura ad magistratuum, mirum non est, postea supplementum additum esse, quo de proximi quinquennii provinciis constitueretur. Hac igitur quoque de causa statuendum est, in lege Pompeiá lata de iuribus magistratuum illud de provinciis caput extitisse. Hunc in modum si rem gestam esse statuimus, ea quoque solvitur difficultas, quod lege Pompeia perlata an. 52. in provinciam nemo missus est. Contrá si statuimus a Pompeio senatusconsultum esse factum, id quod verisimile non est (cf. p. 36.), putandum est, in lege Claudiá Marcelli scriptum esse de quinquennio inter magistratum deponendum et provinciam suscipiendum intermittendo, id quod nullo confirmatur testimonio, quum omnia, quae novimus, legis Claudiae capita pertineant ad provincias per proximum quinquennium administrandas.

Supra dictum est, lege Claudia sanctum esse ut praesides, a quo die in provinciam advenissent [1]) annum manerent, et, si neque succederetur, neque prorogaretur [2]), relinquerent, qui ipsorum locis provinciis praecessent, vetere more, ut praeses successorem exspectaret, sublato [3]).

Lege Claudia perlatá manebat ut duae quotannis decernerentur provinciae consulares. Etenim anno 51. Libulo et Ciceroni obvenerunt provinciae consulares, et anno 49. Scipioni et Domitio (p. 50.) Praeterea non videmus, cur Pompeiani Ciliciam et reliquas octo provincias, quas praetorii obtinebant, id est omnes praeter Gallias, Hispanias, Syriam an. 51. facere voluerint prae-

[1]) Cic. ad Att. V, 14,1. 15,1. 21,9. VI, 2,6. 3,1. 5,3. ad fam. II, 17,1. III, 12,1.

[2]) Id erat senatui licebat, cf. Cic. ad Att. V, 2,1. 21,3. 18,1. 11,1. VI, 1,14. 2,6. VII, 3,1. ad fam. II, 8,3. 10,4. VII, 10,5. XV, 6,2.

[3]) Cic. ad Att. VI, 1,14. 4,3. ad fam. II, 17. VIII, 9,2.

torias, Caesariani vero contra nisi sint (Cic. ad fam. VIII, 8,8), nisi huiusmodi senatusconsulto id efficiebatur, ut anno insequente, quum Galliae duae et Syria vacuae essent, una certe Caesaris provincia fieret consularis, de Hispaniis enim Pompeio an. 52. in quinquennium prorogatis (Appian b. civ. II, 24. Dio C. 40,44. Plut. Caes. 28 [1]), cogitari non licebat. Ita plane apparet, cur Cilicia in senatus auctoritate laudata nominatim appelletur, id quod, nescio cur, vehementer torsit Zumptium (com. epigr. II, 209). Reliquae provinciae erant iam praetoriae, Cilicia etiam tum consularis ad praetorem erat transferenda, itaque fieri non poterat, quin separatim nominaretur.

Unum est, quod miremur, anno 51. Bibulo et Ciceroni provinciae consulares obvenerunt, an. 49. Scipioni et Domitio, anno 50. Nemini neque umquam de provinciis consularibus hunc in annum decernendis cogitatum est, sed M. Marcellus consul anni 51. quo tempore de provinciis consularibus ad senatum rettulit, censuit, Caesari Cal. Mart. an. 49. succedendum esse, id est, Gallias duas hoc tempore esse suscipiendas a consularibus (p. 31).

Lege Sempronia consulibus, antequam designati essent, praetoribus postquam magistratum inierunt, provinciae decernebantur, illis igitur anno altero, antequam susciperent, his anno primo. Hoc in universum mutatum non est, anno enim 51. primum de provinciis consularibus an. 49. ineundis deliberatum est, tum de praetoriis anno 50. (Cic. ad fam. VIII, 8,5 et 8 cf. p. 31.). Attamen hoc tam severe observatum non est, quum neminem offenderet quod anno 51. deliberationes de provinciis consularibus an. 49 ineundis, differrentur in annum 50. (l. l.). Praeterea et anno 51. et anno 49. provinciae consulares et praetoriae eodem anno decretae sunt, quo susceptae. Attamen hoc anno bello iam exorto, ido legibus Pompeia et Claudia modo perlatis, res extra ordinem gesta est.

Lege Sempronia sanctum erat, ne quis senatusconsulto de provinciis consularibus intercederet, id quod, quum Curioni nihil obstaret, quominus an. 50. huiusmodi decreto intercederet, iam videtur sublatum. Verisimile est, in legibus Claudia et Pompeia nihil de intercessione scriptum fuisse, atque, quum iam de provinciis consularibus constitueretur non lege Sempronia sed lege Claudia sive Pompeia intercedere licuisse, quum verbis expressis vetitum non esset. M. Marcellus legem et senatusconsultum fecit an. 51. ineunte, quum mense Maio (Cic. ad Att. V, 2,1.) Cicero proficisceretur ad Ciliciam provinciam hac lege et senatus consulto obtinendam (p. 36.).

Restat ut quomodo lege Claudia provinciae decretae sint, quaeramus.

In universum, qui provinciis non praefuerant, iam ad sortitionem venerunt. Cf. Cic. ad fam. VIII, 8,8: «senatui placere in Ciliciam provinciam, in octo reliquas provincias, quas praetorii propractore obtinerent, eos qui praetores fuerunt neque in provincias cum imperio fuerunt, — — sortito in provincias mitti placere.» Cic. ad fam. I, 15,4: «Ego de provincia decedens quaestorem Caelium proposui — — — neque erat superiore honore usus, quem praeficerem, Pomptinus multo ante discesserat, a Q. fratre impetrari non poterat, quem tamen si reliquissem, dicerent iniqui — — senatum voluisse provinciis praesse, qui antea non praefuissent, fratrem meum triennium Asiae praefuisse.» Idem exponit Cic. ad Att. VI, 6,3. Ex locis laudatis primum apparet, qui ex praetura in provincias praetorias non exierant, eos missos esse in provincias praetorias, qui ex consulatu, in consulares. Concludi vero non licet cum Zumptio (comm. epigr. II, 265. stud. Rom. 181. qui ex praetura in provinciam non exiisset, posteaque consul creatus esset, neque ex con-

[1]) Verba Plutarchi (Pomp. 55.) Ζωσίμου δ' ἐπὶ τῇ ἐπαρχίᾳ ἔχειν τὸν ἄλλον χρόνον ἀντιτείνοντος, ἐπὶ πενταετίαν ἐκεχειρίαν ἔθεντο, quum Pompeius ante in quinquennium provincias accepisset.

quae provinciam obtinuisset, cum ad sortitionem provinciarum consularium admissum non esse, quum fieri non potuerit, ut Q. Ciceron, qui ex praetura in Asiam exierat, neque consulatum adeptus erat, hoc tempore provincia obtineret. Exemplo L. Philippi, qui quam quam propraetor Syriam administraverat (Appian. Syr. 51.), tamen anno 49. ad sortitionem provinciarum consularium admitti debebat (Caes. b. civ. I, 6. cf. p. 20.) demonstratur, qui ex praetura provincias obtinuerant, neque consulatu functi provinciis praefuerant, eos iam ad sortitionem provinciarum consularium esse admissos. Contra qui ex praetura in provinciam non profectus consulatum adeptus erat, cum si ex consulatu provinciam non obtinuerat, statim ad sortitionem consularium admissum esse, veri mile est. Cicero enim et Bibulus, qui praetura functi in urbe remanserant (de Cicerone cf. Cic. pro Murena 20,42. de Bibulo Cic. ad Att. I, 17,11.), consulares statim obtinuerunt provincias, dubium vero non est, quin praetorias, si alia suscipiendi necessitas fuisset, antea administraturi fuerint. Hac in re inter legem Claudiam et Pompeiam discrimen videtur fuisse, quum ex hac, id quod consequitur ex similitudine aetatis posterioris, qua hoc decretum restitutum erat (cf. Mommsen röm. Staatsr. II, 1, 227.), praetorii quinquennio exacto in provincias mittendi essent, etiamsi interea consulatum erant adepti.

De administratione provinciarum consularium haec nota sunt: Anno 51. provinciae consulares obvenerunt M. Ciceroni consuli an. 63. M. Bibulo consuli an. 59., anno 49. L. Domitio consuli an. 54. et Q. Scipioni consuli an. 52., eodem anno L. Cottae consuli an. 65. et L. Philippus consul an. 56. ius habuerunt ad sortitionem veniendi, cf. Caes. b. civ. I, 6: «provinciae privatis decernuntur, duo consulares, reliquae praetoriae, Scipioni obvenit Syria, L. Domitio Gallia, Philippus et Cotta privato consilio praetereuntur.» Hunc locum non esse corruptum contra Zumptium (com. epigr. II, 206.) Nipperdeium (quaest. Caesar, p. 128.) Hofmann (de orig. belli civilis Caesar. p. 146.) recte, neque Zumpt stud. Rom. p. 179 quidquam protulit ad rationes Hofmanni refellendas. Apparet ita rectum non esse, ut primum vetustissimus quisque consularis in provinciam mitteretur, tum paullatim ad iuniores descenderetur, id quod praeterea confirmatur exemplis M'. Lepidi consulis an. 66. et L. Caesaris consulis an. 64., quorum neuter in provinciam exiit (cf. p. 21), quos, si ordo ille observatus esset, ante Ciceronem in provincias mitti oportuerat. Tamen hunc ordinem observatum esse, Zumpt l. l. censet, quam sententiam ut tueatur primum locum Caesaris mutat, tum conicit senatum an. 51. supra Ciceronis aetatem ascendere non potuisse, sive, si conatus esset, prohibitum esse eorum, qui eligerentur, auctoritate, atque a Cotta, Caesare, Lepido otium praetum esse. Deinde statuit, Cn. Domitium Calvinum consulem anni 53. ante Q. Scipionem consulem anni 52. ad sortitionem admissum non esse, quod iam apud Caesarem fuisset[2]). Apparet igitur hunc opinionem nullo probari testimonio.

Neque a senatu quotannis nominatos esse, qui provincias sortirentur, ullo argumento Zumpt probavit. Quae in senatus auctoritate Cic. ad fam. VIII, 8,8) leguntur: «si ex eo numero, quos ex senatusconsulto in provincias ire oporteret, ad numerum non essent», ad provincias spectant praetorias, quae Cicero ad fam. II, 15,4 dicit: «senatum eos voluisse provinciis praesse, qui antea non praefuissent, recte se habent, si senatus constituit, ut omnes consulares

[1] Cotta anno 64 censor (Plut. Cic. 27.) in provinciam non exiit.

[2] Anno 50. etiam tum Gallia videtur fuisse (Cic. ad fam. VIII, 11,2).

qui nondum provinciis praefuissent, quotannis sortirentur. Zumptii opinio refutatur loco laudato Caesaris, in quo reprehenditur, quod consularium duorum sortes non sint deiectae. Itaque apparet ex lege Claudia non duos quotannis sed complures consulares sortitos esse. Quod vetustissimus quisque consularis in provinciam primus missus non est, et Cicero magnopere invitus in provinciam exiit, concidit licet, consulares omnes, quibus ex lege Claudia ius erat, quotannis sortitos esse. Quum Caesar l. l. non notaverit, Scipionem consulem an. 52. sortitum esse, neque dubium sit, quin si hac in re iniuriam fecissent Pompeiani, non minus notaturus fuerit, quam duos consulares eiusdem suspectos praeteritosque esse (cf. Mommsen röm. Staatsr. II, 1, 226), consequitur, Scipioni ius sortiendi fuisse. Omnes igitur consulares, qui an. 52. qua lex Pompeia perlata est, et antea consulatu functi provincias non administraverant, lege Claudia ad sortitionem provinciarum consularium vocati sunt.

Plutarchus (Cic. 36.) «Cicero» inquit «ἐκ τῶν ἐπαρχιῶν κτλ.» sq.? Nihil vero apud eum legimus, quo edoceamur, utrum Cicero et Bibulus sortiri iussi sint a senatu, an, quum omnes consulares sortirentur, Ciceronis sors exierit. Caesaris verba (b. civ. I, 85.): «in se iura magistratuum mutari, ne ex praetura et consulatu, ut semper sed per paucos probati et electi in provincias mittantur» nostris rationibus non repugnant, quum anno 49. duo consulares sortiendo prohibiti sint, et qui in provincias praetorias irent, senatus constituerit.

Hofmann l. l. p. 153. demonstrare studuit Domitio et Scipioni provincias obvenisse quod ex praetura nullas obtinuissent. Neque vero demonstratum est, eos praetura functos in urbe remansisse (cf. Drumann II, 45. III, 18), et, si ex sententia Hofmannni res acta esset, consentaneum esset, eis provincias praetorias obvenisse.

Quo modo de provinciis praetoriis actum sit, potissimum cognoscimus ex auctoritate senatus, quae invenitur in epistola Caelii (Cic. ad fam. VIII, 8, 8). Verba sunt haec: «senatui placere in Ciliciam provinciam in octo reliquas provincias, quas praetorii pro praetore obtinerent, eos, qui praetores fuerunt, neque in provincias cum imperio fuerunt, quos eorum ex S. C. cum imperio in provincias pro praetore mitti oporteret, eos sortito in provincias mitti placere, si ex eo numero, quos ex S. C. in provincias ire oporteret, ad numerum non essent, qui in eas provincias proficiscerentur, tum uti quodque collegium primum praetorum fuisset, neque in provincias profecti essent, ita sorte in provincias proficiscerentur, si ei ad numerum non essent, tunc deinceps proximi cuiusque collegii, qui praetores fuissent, neque in provincias profecti essent, in sortem coicerentur, quoad is numerus effectus esset, quem ad numerum in provincias mitti oporteret.»

In annum igitur 50. certus praetoriorum numerus, qui in provincias exirent, constitutus erat, neque dubium videtur, quin idem in reliquos intervalli annos constitutum sit. Senatusconsultum id intelligunt Nipperdey (quaest. Caes. p. 129.) Drumann (III, 381), quod an. 53. factum est, Mommsen (röm. Staatsr. II, 1, 226), Lange (röm. Staatsalterth. III. 376), quod M. Marcellus consul fecerit, Hofmann (l. l. p. 141.), Zumpt (stud. Rom. p. 180.), quod lege Pompeia perlata factum sit de provinciis per insequens quinquennium administrandis. Drumanni et Nipperdei opinio improbanda est, quum fieri non potuerit, ut, postquam lege et senatusconsulto de provinciis per proximum quinquennium administrandis an. 57. ineunte est statutum, de hac re ad senatusconsultum an. 53. provocaretur. Praeterea senatusconsultum, quo constitueretur, quae quotannis sortiendae

[1] cf. Cic. ad fam. II, 7, 4. 12, 2. III, 2, 1. XV, 12, 2. ad Att. V, 2, 1. 11, 1.

provinciae sortirentur, fieri non poterat, priusquam provinciae factae essent annuae, antea factum erit iam erat irritum, itaque, quum provinciae an. 51. factae sint annuae, [illegible] senatusconsultum nostro loco appellatum antea factum non esse. Mommseni, Langei, Hofmanni, [illegible] opinio ita videtur comprobanda, ut dicamus, quod senatusconsultum an. 51. ineunte Marcello fecerit de provinciis per proximum quinquennium administrandis, id hoc loco appellari. Quod nostro loco non legis Claudiae mentio fit, ei senatusconsulti, mirum videtur, attamen haec fortasse excogitatur ratio. Numerus provinciarum praetoriarum mutabatur, an. 51. octo erant, an. 50. novem, an. 49. Gallis a Caesare depositis decem fuissent. Ita factum est, ut numerus praetoriorum a senatu constitutus ante an. 51. augeretur. Quae quum ita sint, statui fortasse licet, quum senatus an. 51. ineunte in unumquemque intervalli annum praetorios destinaret, hoc decretum, quo facilius postea numerus mutaretur, lege Claudia confirmatum non esse.

Ad sortitionem praetorios omnes admissos esse, qui an. 52. et antea praetura functi provincias non administraverant, ex similitudine provinciarum consularium apparet. Quum senatus constituerit, ut certus quotannis numerus praetoriorum in provincias mitterentur, atque in auctoritate laudata appellentur ei, qui ex S. C. provincias suscipere debent et qui proximorum sunt collegiorum, certus ordo videtur institutus esse. Utrum vero primo loco vetustissimus quisque, an recentissimus quisque in provinciam missus sit, an alio modo haec res transacta sit, dubium est.

E praetoriis an. 51. in provincias missis (p. 36.) ne unius quidem praeturam certo anno adscribere licet. Q. Minucius Thermus trib. pl. an. 52. (Dio C. 2, 43. Plut. Cat. min. 27.) ante annum 60. praetura functus non est. M. Nonium tribunum pl. anno 56. fuisse, censent Lange (röm. Staats. ltert. III, 325.), Mommsen (röm. Münzwesen p. 625 n. 265.), Drumann (III, 277.), secuti, ut videtur, Pighium (annal. III, 381.). Argumenta vero non sufficiunt. Cicero scribit (ad Att. IV, 15, 4.): »a. d. III. Non. Quinct. (an. 54.) Sufenas et Cato absoluti.» Ut hic Sufenas idem sit ac M. Nonius provinciae cuidam anno 51. praefectus, neque idem ac praeses an. 49. (p. 50.), tamen non demonstratur, quum C. Cato accusatus sit, quod trib. pl. comitia an. 56. turbaverat[1]), Sufenatem eodem munere fungentem idem fecisse. Scrofam an. 60. praetorem fuisse, Zumpt (comm. epigr. II, 208) Pighium (annal. III, 347.) secutus censet, quod an. 59. inter vigintiviros agro Campano dividundo fuerit (Varro de re rust. I, 2, 10.), quos omnes praetorios fuisse constet. Novimus ex eis (Lange, 3, 279.) Pompeium et Crassum consulares, C. Cosconium et M. Atium Balbum praetorios (Wiedemann fast. praet. 54. 59.), Varronem et Scrofam. Varro num ante an. 59. praetura functus sit (cf. Themistii orat. 24, 9. p. 453. Dind. Appian. b. civ. IV, 47. Teuffel röm. Literaturgesch. p. 266.), admodum est dubium, num reliqui quattuordecim vigintiviri, incertius etiam est. Praeterea ut hic Scrofa et praeses an. 51. idem sit, Varro cum appellat praetorium (de re rust. II, 4, 2.) in dialogo, qui belli piratici tempore habitus esse fingitur (praef. libr. II, c. 7.), itaque videtur praetor ante annum 68. fuisse, cui opinioni repugnat, quod an. 69. trib. mil. fuit (Cic. Verrin. act. I, 10, 30.). Nihil igitur affirmari licet nisi ante annum 37. a. C., quo Varro hunc librum videtur conscripsisse (de re rust. I, 1. Teuffel l. l. p. 278.). Scrofam praetura esse functum.

[1]) Cic. ad Att. 4, 16, 5. (1, 2. cf. Asconii in Scaur. p. 19. Kr. Cic. ad Q. fr. II, 4 (6), 6. Dio C. 40, 27. Liv. ep. 105.

E praetoriis, qui anno 49. in provincias missi sunt (cf. p. 50), M. Porcium Catonem ante 54 praetorem fuisse scimus[1]), C. Fannium praeturam anno 56 frustra petivisse (Cic. pro Sestio 53, 115. schol. Bob. in Sest. p. 304 Or.). Hunc Asiae an. 49. praefuisse deducitur e tribus horis Apollinis Tallibus, Ephesi cusis, quibus inscriptum est C. Fan. C. f. pont. pr. (Cat. I. L. I, 143 no. 543.), e cistophoro ΠΣ, qui invenitur in Ephesiis (cf. Waddington fastes des provinces Asiatiques p. 67). Incipit ab auctumno an. 49. a Chr. Eum praetorem non pro praetore Asiae praefuisse, contendunt Mommsen (Geschichte des röm. Münzwesens p. 375. ephem. epigr. I, 872, p. 223), Zumpt (comm. epigr. II, 213.), Waddington l. l. p. 677, Marquardt (röm. Staatsverw. I, 380). Nuper vero Wehrmann (fast. praet. p. 72.) docuit, anni 48. a. Chr. praetores omnes a scriptoribus nominari, neque in eis esse C. Fannium. Statuendum igitur est Fannium per abusum dici praetorem, quam quam pro praetore fuit. Cuius abusus apud scriptores permulta inveniuntur exempla (cf. Mommsen, röm. Staatsr. II, 1, 218 n. 5.), neque desunt in inscriptionibus et nummis. Ita M. Junius Silanus Asiae proconsul in titulo Mylaseno (Le Bas et Waddington voyage archéologique III, no. 409) vocatus ἀνθύπατος, et exstant nummus Sardiniensis cui inscriptum est M. Atius Balbus pr. (Eckhel D. N. V, p. 145), et nummi Cyrenenses, quibus Scato pr. et Scato procos. atque Pal(anus) pr(oconsul), cf. L. Müller numismatique de l'ancienne Afrique II, p. 166 sqq.

In epistola T. Ampii ad Coos data (Joseph. ant. Iud. 14, 10, 13.) Fannius appellatur ἀρχιστράτηγος. Epistola vero, quam Fannius ἀνθύπατος ὕστερος dedit ad Ephesios (l. l. 15.), ad annum 133. videtur pertinere (cf. Mendelsohn de senatusconsultis ap. Iosephum in actis soc. philol. Lips. ed. Ritschl V, p. 153.). Itaque quae Mommsen (ephem. epigr. l. l.) contendit, Fannium hoc nomen sibi imposuisse, quod praetor Asiam gubernasset consulari potestate, et eandem significationem inesse vocabulo ἀρχιστράτηγος, eis non demonstratur, cum fuisse praetorem. Illud «ἀρχιστράτηγος,» nisi forte «ἀντιστράτηγος» scribendum est, ut Waddington l. l. statuit, summum ducem (general en chef) videtur significare.

Fannium an. 49. ineunte, cum imperio de Italia decessisse, testatur Cicero (ad Att. VIII, 15,3.), Zumpt censet, praetorem cum fuisse, quod in Siciliam cum imperio missus dicatur (l. l. VII, 15,2.), neque fieri potuerit, ut quisquam tum huic, tum illi provinciae propraetore praesset. Itaque statuendum esse, ei praetori a senatu mandatum esse, ut in Siciliam iret, quo negotio perfunctum eum in Macedoniam et Asiam abiisse. Saepissime vero evenit, ut alicui provincia mutaretur (cf. exempla ab Hofmanno de orig. belli civ. Caesar. 157. collecta.). Neque umquam Fannius Siciliam adtigit; die enim 26. mensis Ian. Cicero scribit, eum in Siciliam missum esse, die vero 3. mensis Martii effamtum apud Pompeium fuit, et cum eo die 19. eiusdem mensis in Graeciam transiit (Cic. ad Att. VIII, 15, 3. IX, 15, 6), Siciliam autem, quo tempore Pompeius de Italia decessit, M. Cato obtinuit (Plut. Cat. min. 53). De Fannio propraetore cf. Borghesium opp. II, 436 sq. Hofmannum l. l. M. Considius Nonianus num is sit Considius, apud quem quaestorem an. 52. Saufeius de vi accusatus est (Ascon. in Milon. p. 53. Or.), incertissimum est, cf. Mommsen röm. Münzwesen p. 367. no. 231. röm. Staatsr. II, 1, 548. Borghesi opp. II, 151. Zumpt l. l. II, 213. Wehrmann l. l. p. 72. — P. Sestius trib. pl. anno 57.[2]) ante annum 55. praeturam ideptus non est. In A. Plotio praetore anni 51. (Cic. ad Att. V, 15, 1), si idem est atque A. Plautius, qui an. 49. Bi-

[1]) Cic. ad Att. IV, 18, 4 (16, 12.). Val. Max. in Scaur. et Cat. 19. Or. Plut. Cat. min. 44. cf. Wehrmann l. l. p. 67.
[2]) Cic. post red. in sen. 9, 20. pro Sestio 4, 14 sq. 33, 71 sq. ad Att. III, 23, 3. ad Q. fr. I, 4, 3.

legem Pompeiam, qua perlata praeturam adeptus erat, violata est. Cotta, Sufenas, Voconius, Caelius, Postumius, quando praetores fuerint, plane nescimus. Itaque nihil statui licet, nisi unum, anno 49 propraetorem anno 54 praetura functum esse, duos post annum 56. Nam, quod scimus, Lanni. 50. propraetore ante an. 60. post an. 53 praetura functus est, nullus dum argumentum est, quo concludi liceat, remota aetatis esse, ut primo vetustissimus quisque praetorius in provinciam mitteretur, tum paullatim ad iuniores descenderetur, nescio, praesertim quum admodum sit verisimile, Pompeianos in provinciis decernendis anno 49 magis suum spectasse commodum quam senatus decreta.

Quibus anno 51 provinciae praetoriae et consulares obvenerint, p. 36. expositum est. Bibulo et Ciceroni adversus Parthos exigua praesidia data sunt (Cic. ad fam. XV, 1,4), atque senatusconsultum de delectibus in Italia habendis prohibuit Serv. Sulpicius consul (Cic. l. l. III, 3. 1, ad Att. V, 4,2). Postea duae legiones in Syriam decretae[1], quas Marius Bibuli quaestor adducturus erat (Cic. ad fam. II, 17,5), in Italia retentae sunt (Dio C. Appian. l. l. Caes. b. civ. 1,9. Hirt. b. Gall. 8,54.).

In octo praetoriis, qui propraetore an. 51. in provinciis erant[2], praetores pro consule fuisse, non statuerim cum Mommseno (röm. Staatsr. II, 1,604), quum Q. Minucius Thermus Asiae propraetor, quibus imperium consulare tribui solebat (cf. Waddington fastes des provinces Asiatiques), in inscriptionibus epistolarum Ciceronis (ad fam. II, 18. XIII, 53—57.) appelletur propraetor.

Quae per annos 51. et 50. Romae de provinciis acta sint enarratur.

Anno 51. a. Chr. ineunte, quo tempore Cicero in itinere iam erat, senatus auctoritas Caesari infesta perscripta est, cf. Cic. ad Att. V, 2,3: «nondum enim satis huc erat allatum (in Pompeianum), quomodo Caesar ferret de auctoritate perscripta, eratque rumor de transpadanis, eos iussos quattuorviros creare.» Haec auctoritas, ut Lange (III,372) statuit, videtur pertinuisse ad relationem M. Marcelli de civitate colonis Novi Comi adimenda (Suet. Caes. 28.), quum ex verbis Ciceronis appareat, rationem quandam inter hanc auctoritatem et iura municipii Novocomensibus data intercessisse. Ceterum Caelius scribit, rumorem falsum fuisse (Cic. ad fam. VII, 1,2). Drumann (III, 376) censet, rumorem fuisse, a senatu successorem Caesari decretum esse, id quod nullo probatur argumento, neque quae Hofmann (de orig. belli civ. Caesar. p. 39.) opinatur, senatum censuisse de Galliarum successione referendum esse, ullo testimonio nituntur.

M. Claudius Marcellus, Serv. Sulpicio collega resistente inde ab initio consulatus in Caesarem invectus (Cic. ad fam. IV, 3,1. l. quum Cal. Iun. de successione Galliarum referre voluis-

[1] Dio 40,65. Appian. b. civ. II, 29. Plut. Caes. 29. Pomp. 56. Hirt. b. G. 8,54.

[2] Cic. ad fam. VIII, 8, 8.

set (l. l. VIII, 1,2.), rem distulit (l. l. VII, 2,3). Quum die 20. mensis Iulii nondum quicquam sacpius senatus infrequentia prohibitus perfecisset (l. l. VII, 5,3 9,2), senatui placuit, ut Pompeius Roma profecturus quam celerrime rediret, ut coram eo de hac re ageretur, id quod die 13 mensis Augusti factum iri putabatur. Quo die res iudicio C. Marcelli consulis designati interpellata usque ad alterum mensis Septbr. diem dilata est (l. l. VIII, 9,2.). Prudentiores iam intellexerunt, fore ut res integra in posterum annum differretur, quum futurum esset, ut, si quis de Galliis rettulisset, a Caesarianis intercederetur, si quis de reliquis provinciis, ab aliis, quoniam libere non esset de omnibus provinciis statuere. Itaque fore, ut neque praesidibus anni 51. succederetur, et usque ad annum 49. hunc in modum certaretur (l. l. VIII, 5,2.). Praeterea Pompeius censuerat, hoc tempore senatusconsultum faciendum non esse, Scipio, ita ea Cal. Mart. proximis de hac re ad senatum referendum esse (l. l. VIII, 9,5. cf. 8,4 et 9).

Pompeius hoc tempore id egisse videtur, ne Caesar consul designatus exercitum retineret. In epistolis Caelii leguntur haec (VIII, 8,9): «quid si» inquit alius, «et consul esse et exercitum habere volet» (Caesar). At ille (Pompeius) quam clementer: «quid si filius meus fustem mihi impingere volet?» His vocibus ut existimarunt homines, Pompeio cum Caesare esse negotium, effecit, itaque iam, ut video, alteram ad condicionem descendere volt Caesar, ut aut habeat neque hoc anno (id est an. 49., quo erat petiturus cf. p. 30.) suam rationem habeatur, aut si designari poterit, decedat.» l. l. VIII, 9,5: «Pompeius tuus aperte Caesarem et provinciam habere et consulem esse non volt.» Pompeius noluit Caesarem consulem designari, antequam exercitum dimisisset (l. l. VIII, 11,4. 14,2.), itaque multo minus voluit, eum in consulatu exercitum retinere. Quod Pompeius nolebat, a Caesare consule exercitum retineri, sive volebat, primo consulatus die dimitti, ea re certe Caesar adductus non est, ut aut per annum 49. in provincia maneret, aut praesens peteret sive consul designatus exercitum dimitteret. Apparet igitur, Pompeium id egisse, ne Caesar consul designatus exercitum retineret, quo concesso in illa ep. Caelii scribendum est: «si — — et consul designatus esse ut exercitum retinere volet», (et in huius lacunā restituendum «et consulem designatum esse non volt»). Quod si recte disputavi, refutata est opinio Mommseni (Rechtsfrage p. 47), Caesarem postulasse, ut in consulatu provincia sibi remaneret. Quodsi Pompeius egit, ut Caesar sive consul des. exercitum dimitteret, sive praesens peteret, Cal. Mart., post quas (l. l. VII, 8,4 et 9.) eum decedere volt, sunt anni 49., quam opinionem alia quoque de causa verisimilem esse p. 28. dictum est. Perspectā hac Pompeii voluntate, dum M. Marcellus ultimo mensis Septbr. die ad senatum rettulisset, ut Caesari Cal. Mart. anni 49. succederetur (p. 11), senatus consultum factum est ex sententia Scipionis, ut inde a Cal. Mart. proximis de provinciis consularibus referretur ad senatum.

Eodem die S. C. factum est, ut in Ciliciam et octo provincias, quas praetorii obtinerent, praetorii mitterentur, et, si ei, quos sortitus designasset ad numerum non essent — neque dubium est, quin ad numerum non fuerint, dum antea in octo provincias praetorii designati essent, tum vero nonus opus esset — tum proximum quodque collegium ad sortitionem vocaretur. Verba sunt «si ex eo numero, quos ex S. C. in provincias ire oporteret, ad numerum non essent, tum ut quodque collegium primum praetorum fuisset neque in provincias profecti essent, ita sorte in provincias proficiscerentur, si ei ad numerum non essent, tunc deinceps proximi cuiusque collegii, qui praetores fuissent, neque in provincias profecti essent, in sortem vocarentur». Ex his verbis

1, 12) concluditur, hac auctoritate non modo quomodo an. 50. sed etiam quomodo an. 51. provinciae praetoriae ordinatae sint. Statutum enim erat, nisi enim ita esset, verbis «quotque collegium sq.» et «tunc deinceps proximi cuiusque collegii» plane idem significari. Quamquam in tota hac auctoritate significatur, praetorios appellatos hoc anno esse in litteris, nec verbis «tunc deinceps sq.» accuratius tantum describitur, quomodo a superiore quoque collegio ad proximum quotque ascendatur (cf. Mommsen rom. Staatsr. II, 1, 226 n. 2). Praeterea hac auctoritate in posterum praeiudicatum est, si praetorii, quos ex senatusconsulto in provincias ire oportebat, ad numerum non essent, provincias singulis prorogandas non esse, sed proxima praetoriorum collegia ad sortitionem vocanda. Senatus quum hac auctoritate id ageret, ut Cal. Mart. proximis, quibus de provinciis consularibus acturus erat, nullae essent provinciae quas decerneret, nisi Gallia duae et Syria, a tribunis Caesari deditis intercessum est.

Anni 50. a. Chr. Cal. Mart., ante quas de provinciis actum non erat, res a Curione impedita est, qui intercessurum se minans effecit, ut usque ad diem 19. huius mensis nihil ageretur, nisi ut tumultuosae contiones haberentur (Cic. ad Att. VI, 2, 6. ad fam. II, 12, 1). Curio simulans primo, a partibus Pompeji se stare, multa molitus est, ad quae perficienda postulavit, ut intercalaretur, cuius rei mentio, quamquam Dio testatur (40, 62), ab ipso primo facta non est (Cic. ad Att. V, 9, 2.). Quod, quum non obtinuisset, ad populum conversus duas leges seditiosas promulgavit, quas, quum optimates impugnarent, speciosa ei data est occasio ad Caesarem transeundi[2]). Hic transitus mense Martio ineunte factus videtur. Cicero mense Maio habet acta ad Non. Mart. (Cic. ad Att. VI, 2, 6.), eodem tempore, quo hanc epistolam ad Atticum dat, epistola II, 13. Caelio rescribit ad epistolam VIII, 6.[3]) Apparet igitur acta missa esse cum ep. VIII, 6., in qua transitus Curionis commemoratur, et epistolam VIII, 6. datam esse Martio mense ineunte. Gruber p. 13. una cum ep. VIII, 7., haec acta missa esse censet, quacum epistolae acta missa sunt (cf. VIII, 7, 2. II, 15, 5.), quae num ad Nonas pertinuerint, dubitari licet. Cicero enim, quo tempore epistola II, 13. rescribit ad Caelii ep. VIII, 6., acta ad Nonas Martias habet et epistolam VIII, 7., si una cum ea acta illa missa sunt. Permirum est, eum epistola II, 13. non rescribere ad ep. VIII, 7., sed epistola II, 15. data mense Aug. medio (Gruber p. 14. cf. Nake l. l. p. 61.), quamvis interim epistolam II, 12. mense Jun. dederit ad Caelium. Quae quum ita sint, statuendum est, acta ad Non. Mart. missa esse cum ep. VIII, 6., alia acta cum ep. VIII, 7., neque epistolam VIII, 7. postero die quam ep. VIII, 6., ut Gruber et Nake (symb. philol. Bonn. p. 379.) statuunt, datam esse, quum fieri non potuerit, ut duobus continuis diebus cotidie acta mitterentur.

Senatus de provinciis consularibus deliberavit, postquam Ciceroni supplicationes sunt decretae (Cic. ad fam. VIII, 11, 3), antequam Caelius ep. VIII, 13. ad Ciceronem dedisset. Cicero de supplicationibus certior factus est mense Iulio medio, quo tempore Rhodum erat profecturus (cf. ad Att. VI, 7, 2 ad fam. II, 17, 1.), omnesque epistolas, quibus de supplicationibus gratias egit, dedit eodem fere tempore profecturus ex provincia aut iam profectus (cf. Cic. ad fam. II, 15. III, 13. XV, 6, 1.), atque ad senatum misit litteras mense Febr. exeunte (Cic. ad Att. VI, 1, 9.). Itaque quum cuo. um mensium spatio epistolae Roma in Ciliciam perferri solerent, (cf. [illegible] 2). supplicationes decretae sunt mense Maio. Mense Maio vel Iunio data videtur ep. VIII, 13. (cf.

1) Cic. ad fam. VIII, 8, 5. 11, 12, 1. ad Att. V, 20, 7. VI, 1, 24. 2, 6.

2) Cic. ad fam. VIII, 6, 5. 8, 3. Appian. b. civ. II, 27. Liv. ep. 109. Vell. 2, 48. Dio C. 40, 62.

3) cf. Gr., Nake in Fleckeisen annalib. t. 89. 1864. p. 61. Gruber de tempore et serie epp. Cic. p. 2

Hofmann l. l. p. 83 sq.), qua Caelius Ciceroni gratulatur, quod Dolabellae, qui Appium Claudium maiestatis accusaverat (Cic. ad fam. II, 13,2. VIII, 6,1. Brut. 94,324), desponsa sit Tullia, id quod quum Cicero mense Aug. ineunte audiret (Cic. ad fam. III, 12,2. ad Att. VI, 6,4), factum est mense Maio vel Iunio. Tullia desponsa est, postquam supplicationes decretae sunt, quum Cicero Appio gratias ageret nulla novae cum accusatore affinitatis mentione (ad fam. III, 13), in qua excusanda postea vehementer laboraret (l. l. III, 12). Idem epistolam II, 12. posteriorem esse epistola III, 13. eo docetur, quod in epp. III, 11. et 13. Cicero sperat Appium esse censorem, in ep. 12., quum nihil huiusmodi addat, certo scit.

Lange (III, 384 et 386.) epp. Caelii VIII, 11 et 13. mense Aprili datas existimat, quod ad utramque rescribat Cicero mense Aug. ineunte (ad fam. II, 15); at quum constet epistolas Roma in Ciliciam tum longiore, tum breviore tempore esse perlatas (cf. Nake in Fleckeisenii annal. t. 89 p. 66.), non colligitur, quas epistolas Cicero eodem tempore receperit, eas una datas esse.

Senatus igitur de provinciis deliberavit, postquam mense Maio supplicationes Ciceroni decretae sunt, antequam mense Maio vel Iunio Caelius epistolam VIII, 13. ad Ciceronem dedisset, id est mense Maio vel Iunio.

Antequam senatusconsultum factum esset, cognitum est, Pompeium id agere, ut Caesar Idibus Novbr. decederet (Cic. ad fam. VIII, 11,3), quum idem a. 51. voluisset, Caesarem post Cal. Mart. an. 49. exercitum dimittere, iam Idus Novbr. eiusdem anni ei praefinivit. Pompeio in hunc diem comitia differre, ut Hofmann l. l. p. 18 censet, certe noluit, quum id ageret, ne Caesar anno 49. consul crearetur (Cic. ad Att. VII, 8,4. 9,3). Ex epistola Caelii serius data (VIII, 13,2) apparet, senatum de provinciis consularibus statuisse, Curionem intercessisse, remque omnino iacuisse, quum senatus cum tribuno de remittenda intercessione agere noluisset (cf. Cic. ad Att. VII, 7,5).

Appianus de his senatusconsultis narrat haec (b. civ. II, 27—32): C. Claudius Marcellus censuit Caesari succedendum esse, id quod Curio ea condicione, ut Pompeio quoque succederetur, comprobavit. Tum Pompeius Capuae morbo adflictus, per litteras et, quum Romam rediisset, coram promisit, se exercitum et provinciam dimissurum, spe adductus, fore ut Caesari succederetur statim, sibi res in promissis maneret. Curio contendens, nemini succedendum esse nisi utrique, senatum omnino quidquam statuere vetuit, neque quidquam decretum est, nisi utab utroque legio ura ad Parthicum bellum mitteretur, qua occasione usus Pompeius, quum Caesari legionem, quam antea ei dederat, eripuisset, legionem utramque in Italia retinuit. Denique in senatu eo perventum est, ut sententiae perrogarentur a Marcello, qui quum primum rogasset, num Caesari succedendum esset, tum num Pompeio, illud probatum, hoc antiquatum est. Curioni vero deinde utrique succedendum esse censenti senatores omnes adsensi sunt exceptis viginti duobus. Hic senatus conventus commemoratur ab Hirtio (bell. Gall. VIII, 52): Curio trib. pl. — saepe erat senatui pollicitus, si quem timor armorum Caesaris laederet, quoniam Pompeii dominatio atque arma non minimum terrorem foro inferrent, discederet uterque ab armis exercitusque dimitteret, — — neque hoc tantum pollicitus est, sed etiam per se discessionem facere coepit, quod ne fieret, consules amicique Pompeii fusserunt, at *reliqui tamen omnes eo* discessérunt.» Quaecumque exciderunt, discessum esse in sententiam Curionis apparet ex sequentibus. Huius enim S. C. quum numquam commemoretur, et neque Caesar neque Pompeius arma deposuerint. Pompeiani intercessionem

senatus consultum ex sua sententia Marcelli facto Curionem intercessisse, inde apparet, quod senatus postea cum eo de remittenda intercessione agere noluit (Cic. ad Att. VII, 7, 5. ad fam. VIII, 14, 2. Plutarchus Pomp. 58.) eadem narrat quae Appianus, eodem certe fonte usus, nisi quod priorem senatus consultum omittit, et Curionem non Marcellum fecit rogantem, num Caesari uni succedendum placeret, neque narrat, rogatum esse, num Pompeio qui arma deponenda essent. Cassius Dio (40, 62) nihil tradit nisi Curionem postulasse, ut uterque succederetur. Appiani, cuius narratio plenissima est, teste, bis de provinciis deliberatum est, ad priorem deliberationem pertinere videtur ep. Caelii VIII, 11., ad posteriorem VIII, 13., qua narratur, senatum cum Curione de re mittenda intercessione agere noluisse, itaque, quum futurum non sit, ut ei succedatur, eius absentis rationem a lege decem tribunorum habendam esse. Lange (III, 385 sq.) duo censet facta esse senatus consulta, priori Curionem intercessisse, senatumque cum eo de remittenda intercessione agere noluisse, in posteriore conventu Curionem rogasse, num Caesari et Pompeio succedendum placeret. Nullum video huius opinionis argumentum, nisi quod Appianus duos senatus conventus commemorat, attamen neque tradit in priore senatusconsultum factum esse, et apparet, antequam ep. Caelii VIII, 11. data esset, senatum de provinciis deliberasse (cf. § 3. eiusdem epistolae). Accedit, quod mirum est, senatum, quamvis de intercessione remittenda cum Curione agere noluisset, tamen ipsum rem iterum aggressum esse, et quod Cicero dicit, per senatum, quod cum Curione agere noluisset, factum esse, ut nemo in provinciam mitteretur, quum, si senatus iterum rem aggressus esset, per Curionem esset factum (ad Att. VII, 7, 5.). Praeterea Lange, ut explicet, cur in Caelii epistolis haec senatus deliberatio non commemoretur, nullo argumento fretus suspicatur epistolam Caelii esse deperditam (de hac re cf. Nake in Symb. philol. Bonn. p. 373 sq.).

Utrum Caesari absenti petere liceret necne, omnino nondum quaesitum videtur (Cic. ad Att. VII, 1, 4. 7, 6 sq. 9, 2. cf. Sueton. Caes. 28.). Pompeius noluit Caesarem absentem consulem designari (Cic. ad fam. VIII, 14, 3. 14, 2), atque id videtur egisse, ut per annum 49. in provincia remaneret, an. 48. consulatum peteret (Cic. ad Att. VII, 8, 4. 9, 2.), quod si efficiebatur, satis erat temporis ad Caesarem iudiciis circumveniendum (cf. Suet. Caes. 36. Cic. ad fam. VIII, 14, 2.), prohibendumque, quominus consul fieret, quo nihil magis Pompeianis videbatur timendum (Cic. ad Att. VII, 9, 3.).

Senatus si, id quod non traditur, de ceteris provinciis statuere conatus est, intercessione, ut Caelius iam an. 51. prospexit (ad fam. VIII, 5, 2.), prohibitus est, quod libere non esset, de omnibus provinciis statuere (cf. Cic. ad Att. VII, 7, 5).

Caesar literis ad senatum missis, condicionem a Curione latam iterum tulit (Cic. ad fam. VIII, 14, 2. cf. Suet. Caes. 29. Appian. b. civ. I, 4. Liv. ep. 109), tum per Curionem Cal. Ian. an. 49. senatui ultimas detulit conditiones (Caes. b. civ. I, 1. Dio, C, 40, 1), quas ipse (l. l. I, 5.) appellat lenissimas. Quum et Dio narret, eum promisisse, si Pompeius exercitum dimisisset, idem se facturum esse, et Cicero scribat (ad fam. XVI, 11, 2.): «Caesar — minaces ad senatum et acerbas litteras miserat, et erat adhuc impudens qui exercitum et provinciam invito senatu teneret», senatus die 7. mensis Ian. Caesarem exercitum dimittere iusserat, Dio (41, 3. Caes. b. civ. l. l.), et ipse (l. l. 1, 9) litteras commemoret ad senatum missas, ut omnes ab armis recederent, consici posse videtur ea, quae Suetonius l. l., Appianus (b. c. II, 32), Plutarchus (Caes. 31. Pomp. 59), Velleius (II, 49) narrant, Caesarem postulasse, ut pars exercitus et provinciae sibi, quoad consul designatus

esset, remaneret, referenda esse ad privatas pactiones, id quod significatur a Suetonio. Has condiciones publice latas esse Mommsen (Rechtsfr. 56.) consen[t], de pactionibus privatis cogitant Drumann (III, 403.), Hofmann, (l. l. 107.), Lange (III, 396.).

Senatus Caesarem ante diem certum exercitum dimittere iussit (p. 48.), qui dies Cal. Iul. videtur fuisse (cf. p. 30), certe ita electus erat, ne Caesar absens peteret, quod bellum civile ortum videtur, quod hoc populi beneficio Caesar privatus est (cf. Cic. ad Att. IX, 11 A, 2. Caes. b. civ. 1, 32. Flor. II, 13 (4,2). Vell. II, 49.). Quomodo hoc senatusconsulto perscripto bellum exortum sit, narrare, nostra iam non interest.

Provinciae consulares an. 49. a. Chr.

Paucis post diem 7. mensis Ian. diebus «provinciae privatis decernuntur, duae consulares, reliquae praetoriae, (Q. Caecilio Metello) Scipioni obvenit Syria, L. Domitio (Ahenobarbo) Gallia (ulterior), Philippus et Cotta privato consilio praetereuntur, neque eorum sortes deiciuntur, in reliquas provincias praetores mittuntur» (Caes. b. civ. 1,6). De provinciis consularibus cf. Cic. ad fam. XVI, 12,3. Appian. b. civ. II, 38. Suet. Caes. 34. Caes. b. civ. III, 4 et 31. Plut. Pomp. 62.

Provinciae praetoriae.

Gallia citerior obvenit M. Considio Noniano Cic. l. l.

Sardinia M. Aurelio Cottae. Caes. b. civ. I, 30. Cic. ad Att. X, 16, 3. Oros. VI, 15.

Sicilia M. Porcio Catoni. Caes. l. l. Cic. l. l. Oros. l. l. Dio C. 41,41. Plutarch. Pomp. 61. Cat. min. 43.

Macedoniae quis praefuerit nescimus. Quo tempore Pompeius mare Ionicum transgrediebatur, hanc provinciam gubernabat T. Antistius quaestor. Cic. ad fam. XIII, 29,3: «T. Antistius — quum sorte quaestor Macedoniam teneret, neque ei successum esset, Pompeius in eam provinciam cum exercitu venit. — oppressus tantum attigit negotii, quantum recusare non potuit. Quum signaretur argentum Apolloniae, non possum dicere, eum praefuisse, neque negare, eum adfuisse, sed non plus duobus an tribus mensibus. Deinde afuit a castris.» Quod Cicero non commemorat, Antistium a propraetore Macedoniae dissedisse, Zumpt (com. epigr. II, 217) concludit, nemini Macedoniam obtigisse, quamvis e verbis Caesaris constet, in omnes provincias praesides esse missos, et duodecim praesidum nomina nobis nota sint. — Nomen igitur propractoris Macedoniae ignoratur.

Africa obtigit L. Aelio Tuberoni. Caes. b. c. 1,30. Oros. 6,16. cf. Quintil. XI, 1,80.

Asia obvenit C. Fannio cf. p. 43.

Bithynia A. Plautio. Cic. ad fam. I. I. «T. Antistius quaestor Macedoniae) post proelium (Pharsalicum) se ad hominem necessarium A. Plautium in Bithyniam contulit.» Plautius igitur an. 48. Bithyniae praefuit, et, quum hoc anno nemini provincia obtingere, an. 49., itaque cum Schweighaeusero, quamvis Zumpt l. l. II, 212 contra dicat, apud Appianum (Mithr. 120) Καλουΐνῳ legendum est pro Καλουτίῳ, nomine ignoti cuiusdam Bithyniae praesidis, intelligendusque C. Domitius Calvinus, cui Caesar Pompeio devicto Asiam et finitimas provincias tradidit (Suet. bell. Alex. 31. sq.).

Cilicia obvenit P. Sestio. Ex epistola Ciceronis (ad fam. V, 20, 5,) colligitur, eum pecuniam abstulisse, quam Mescinius Rufus Ciceronis, cuius in Cilicia quaestor fuerat (Cic. ad. Att. VI, 4, 1. 7,2. ad fam. XIII, 26. 1. 2; A, 1.), iussu in fano deposuerat. Sestius igitur post Ciceronem in Cilicia fuit. Cicero scribit an. 49. ineunte ad Atticum (VII, 15,3.): «(qui cum Pompeio transierunt vel transibunt) aut cum imperio sunt, ut Pompeius, ut Scipio, Sufenas, Fannius Voconius, Sestius, ipsi consules — — aut legati sunt eorum.» Qui cum imperio sunt, nisi legati sunt, praesides provinciarum esse videntur, id quod eo certius est, quod duos hoc loco appellatos hoc munere functos scimus, C. Fannium et Scipionem. Praeterea Sestius fasces dicitur habuisse ex senatus consulto facto post discessum tribunorum (Cic. ad Att. XI, 7,1), et revera provinciae decretae sunt, postquam tribuni ad Caesarem profugerunt (Caes. b. c. I, 5 sq.).

Ex loco supra laudato Sufenatem et Voconium item praesides provinciarum fuisse, collegerim. Neque Sufenas idem ac M. Nonius praeses anni 51. videtur. Hic enim iam eadem condicione erat, qua Cicero, id est sine imperio, Cicero enim l. l. eos, qui cum imperio sunt, aperte sibi opponit.

In praesidibus huius anni fortasse est numerandus Postumius, quem senatus in Siciliam ire iusserat (Cic. ad Att. VII, 15, 2). Voconium, Sufenatem, Postumium Macedoniae, Cretae, Cyrenis, quarum praesides ignoramus, praefuisse, statuendum est, Hispanias duas etiamtum per legatos gubernabat Pompeius (Caes. b. c. I, 37 sq. Appian. b. c. II, 42. Dio C 41,20 sq. Suet. Caes. 35. Vell. II, 50. Plut. Pomp. 65. Caes. 36. Oros. 6, 15. Flor. 2,13 (4,2.). Eutrop. 6,20. Liv. ep. 110).

Praesides provinciarum qui fuerunt in

Anno a. C.	Hispania ult.	Hispania cit.	Gallia ult.	Gallia cit.	Sardinia	Sicilia	Africa	Macedonia	Bithynia	Asia	Cilicia	Syria	Cyrenis	Creta
59.		P. Lentulus dec.	C. Pomptinus	L. Afranius?		C. Vergilius		C. Octavius		Q. Cicero		Cn. Marcellinus		
58.			C. Caesar	C. Caesar		idem	P. Vettius	L. Appuleius	[1]	Fabius		idem		
57.			idem	idem				L. Piso	C. Memmius	T. Ampius dec.	[2]	A. Gabinius		
56.		Q. Metellus	idem	idem	App. Claudius		Q. Valerius Orca	idem	Caecilius Cornutus		P. Lentulus	idem		
55.		idem	idem	idem	Aemilius Scaurus dec.			Q. Ancharius		C. Claudius	idem	idem		
54.	Cn. Pompeius	Cn. Pompeius	idem	idem				[3]		idem dec.	idem	M. Crassus		
53.	idem	idem	idem	idem			P. Attius Varus [4]				App. Claudius	idem †		
52.	idem	idem	idem	idem			idem				idem	C. Cassius		
51. [5]	idem	idem	idem	idem	[6]		C. Considius	[8]	P. Silius Nerva	Q. Tubero	M. Cicero	M. Bibulus	[7]	
50. [9]	idem	idem	idem	idem		T. Furfanius	Q. Ligarius	T. Antistius		L. Antonius	C. Caelius	Vecilio		
49.	idem	idem	idem	idem	M. Cotta	M. Cato	L. Tubero		A. Plautius	C. Fannius	P. Sestius	Q. Scipio		

NB. Quum constabat aliquem de [illegible] decessisse, neque nomen successoris notum erat, adscripsi dec. = decessit. Hoc adscripsi ultimo anno completo [illegible] Scaurus [illegible] ex Sardinia decess[illegible] ad[illegible], ultimus eius annus completus fuit an. 55., ad hunc adscripsi dec. Quum neque constaret, quo anno aliquis decessisset, neque quis successisset, [illegible] Varus ante an. 52. in Africam advenit. — [3]) Post Q. Ancharium ante an. 51. Macedoniae praefuit L. Calpurnius. — [4]) Anno 58. Bithynia praet[illegible] 57. Cilicia praetori obtigit. — [6]) An. 51. propraetores provinciarum fuerunt M. Glonius (Tremellius Scrofa. — [7]) Quos anno 50. adscripsi, ei praet[illegible]em legati sive quaestoris fuerunt. — [9]) An. 49. Galliam ult. sortitus est Domitius, utroque consule, quae provincias numquam adierunt, [illegible] fuerunt Postumius, Sufenas, Vocconius. — [10]) Sardinia, Macedonia, Cyrenae, Creta an. 51. a proprae-

Sententiae controversae.

1) Plutarchus (Caes. 66. Brut. 17.), Appianus (b. c. v. II, 117.), Nicolaus Damascenus (v. Aug. 24.) in morte Caesaris enarranda eundem sequuntur auctorem.

2) In orationis Catilinariae § 1. verba «quid proxima» delenda sunt.

3) Cicero orationem de rege Alexandrino habuit an. 65. a. Chr.

4) Argumenta, quibus adductus Linkerus (Emendationen zu Sallust, Wien 1855) verba Sallustii (Cat. 28.) «postremo ubi multa agitanti — tantum facinus susceperant (c. 29)» post verba c. 31. «lege Plautia interrogatus erat ab L. Paullo» legenda censet, non probo.

5) Argumenta, quibus commotus Dünzelmannus (Forschungen zur deutschen Geschichte XIII, p. 16 sq.) epistolam 63. Bonifatii (editionis Jaffeanae) an. 743. vel 744. datam esse statuit, nihil valent.

Vita.

Natus sum Chr. Godt patre Petro Hinrichseno matre Anna e gente Mannhardt die 18. mensis Decbr. anni 1853. Fidem profiteor evangelicam. Vere anni 1867. in tertiam gymnasii Slesvicensis classem receptus sum, auctumno anni 1869. in secundam gymnasii Haderslebensis. Tribus annis post maturitatis examine superato ad studia philologica me converti, quibus operam [illegible] annum, Berolini per tempus semestre, Kiliae inde a vere anni 1874. Scholis inirorum doctissimorum Curtius, Lange, Ritschl, Philippi, Wenck, Berolini virorum Haupt, Droysen, Curtius, Steinthal, Zeller, Dorner, Harms, Kiliae virorum doctissiForchhammer, Rohde, Schirren, Volquardsen, Thaulow, Pfleiderer, Nitzsch, Möller, imprimis rectoribus seminariorum philologici et historici Kiliensium, quorum utriusbienium sodalis fui, debitas gratias ago.